IANI PANNONII

Poëtarum ſui Seculi facile Principis.
In Hungaria.
Quinque Eccleſiarum olim Antiſtitis

POËMATA.

Quae uspiam reperiri potuerunt omnia. Ad Manu ſcriptum Codicem Regium Corvinianum exacta, recognita, et cum omnibus quae adhuc prodierunt editionibus diligenter collata, plurimisque Epigrammatis e praedicto MS. nunc primum depromtis aucta, & emendata.

PARS PRIMA.

Nolunt Pieriae latere merces
Quas famae pretium manet perennis.
Jan. Pan. Ep. CCCLXXI.

TRAIECTI AD RHENUM,
Apud BARTHOL. WILD, Bibliop.
M DCC. LXXXIV.

LECTORI BENEVOLO. S.

En Tibi tandem aliquando, Lector benevole, Poëmatum Jani Pannonii editionem, magni quondam Praeceptoris, Celeberrimi Petri Vesselingii hortatu consilioque susceptam, et curis juvenilibus olim praeparatam; in qua quidem adornanda quid potissimum secuti, quibusve opibus et auxiliis adjuti fuerimus, quo facilius aequiusque de re tota existimes, quam brevissime fieri potest, edocendus esse videris. Prima igitur praecipuaque nobis cura, pro eo ac par erat, fuit, contextum dare quam emendatissimum, utique Janus prodiret lima-

tior et auctior quam unquam antehac prodierat; deinde id nobis negotii datum esse credidimus, ut ſpuriis et ſuppoſititiis, quae nonnullorum incuria an iniquitate in Carmina Pannonii irrepſerant, exterminatis, qua fide et auctoritate quaeque nitantur, commonſtraremus. Uſi ad haec ſumus quatuordecim libris, uno videlicet manu ſcripto eorundem temporum quibus Poëta vixit aequali, et tredecim editis ac typo mandatis; quorum tamen ſinguli ita ſunt comparati, nullus ut omnia Jani Pannonii monumenta complectatur, ſed alii unam, alii plures vel pauciores lucubrationum ejus particulas conſervarint. Ac primum quidem quod ad Codicem manu exaratum attinet, ejus copiam nobis fecit Doctisſimus A. Fr. Kollarius Caeſarianae Bibliothecae primarius Custos, atque Praefectus, eruditisſimis ingenii monumentis in vulgus editis, ſatis ubique terrarum gentiumque cultiorum notus, humanitate vero praeditus tanta, ut proprio quodam naturae munere factus ad ſtudium de aliis bene merendi remque literariam adjuvandi esſe videatur. Conſtat autem hic liber duabus omnino partibus, quarum una, eademque potior ex reliqui-

quiis Bibliothecae regiae Corvinianae Budensis per Lambecium A. MDCLXVI. Viennam translata, continet Epigrammata circiter CCCLXXXIV. Elegias XV. et Panegyricum Guarinianum. De hoc vide fis Lambecium ipsum Comment. Vindob. L. II. cap. IX. pag. 989. Altera pars hujus MS. per Jo. Sambucum Florentiae reperta, et mox A. MDLXVII. Viennae typis excusa, solo Eranemo absolvitur. Collato igitur hoc duplici libro, plurima Jani vulnera curavimus, quae, absque illo fuisset, nulla unquam ratione sanari potuissent. Porro in eis quos typis descriptos consuluimus, agmen ducit Viennensis A. MDXII. ab Adriano Volphardo Transsilvano emissus, in quo tamen praeter Panegyricum Guarinianum cura Pauli Crosnensis Rutheni emendatum et Illustri Viro Gabrieli Perenio Cubiculariorum Regalium Magistro, Comitique Ugochiensi ac Maramarusiensi dedicatum; itemque Elegiam de arbore foecunda nihil amplius reperitur. Deinde Anno sequenti MDXIII. Sebastianus Magius Hungarus Bononiae edidit, et Georgio Episcopo Quinque Ecclesiarum consecravit praedictum Panegyricum, una cum Elegia de Fonte Narniensi, et illa de arbore ni-

 mium

mium foecunda, duobus epigrammatis de Frando, et luctu Galeotti adjunctis. Insequenti Anno MDXIV. Jo. Camers Ordinis Minorum S. Theologiae Professor edidit Viennae, Stephanoque Verbeutio dicavit X. Jani Elegias, quarum lemmata sunt: I. Ad Feroniam. II. Ad Mantegnam. III. Ad Blasium. IV. De Stella meridie visa. V. De apro et cervo. VI. De morte Barbarae. VII. In Lunam. VIII. Ad Constantium Poëtam. IX. De se aegrotante in castris. X. Conquestio de suis aegrotationibus. Hanc excepit editio quarta a Jo. Frobenio celebri Basileensium typographo A. MDXVIII. adornata, in qua ille sine ullo ordine poëmata, elegias, et epigrammata quaedam excudit, ita ut nonnulla e jam editis omitteret, nova quaedam adderet, quo de genere sunt: I. Carmen ad Frid. III. II. Epicedium Andreolae. III. Ad Apollinem cum e pede laboraret. IV. Ad Georg. et Ant. Scientas. Ad haec Epigrammata amplius XX. et duae Bap. Guarini ad Janum epistolae. Exhinc secuta est altera editio Bononiensis A. MDXXII. quam Adr. Volphardus dedit tripartitam. Pars prima habet solum Panegyricum Marcellinum, quae omnium pri-

prima est nobilisſimi hujus poëmatis editio, quamque ille Francisco Vardenſi Episcopo Transſilvano luculenta praefatione dedicavit. Altera pars Thomae Pellaeo Archidiacono Ozdenſi et Canonico Albenſi dicata complectitur XV. Elegias, quas exhibet etiam Codex Corvinianus. In Tertia parte reperiuntur Jani verſiones quaedam e Plutarcho et Demosthene proſa oratione confectae, una cum loco Homerico de Glauci et Diomedis armorum permutatione, heroïco carmine expresſo. Haec editionum omnium emendatisſima et accuratisſima est, et huic ſane Viro doctisſimo Adriano Volphardo, qui ſe Protonotarium Apostolicum fuisſe, et Enyedini perquam celebri Transſilvaniae oppido muſeum habuisſe refert, plus Noster debet uni, quam ceteris omnibus, qui in eo edendo ſtudium et operam aliquam usque adhuc poſuerunt, adeo ut hic vir ſervator Jani Pannonii ſuo merito nominari posſit, quippe qui ſummo ſtudio in id incubuerit, ut egregia hujus Vatis ingenii monumenta quam correctisſima et emendatisſima in vitam et uſum revocarentur. Utinam vero plura Jani opuscula in hominis diligentisſimi manus incidisſent! multo certe limatiora

illa et longe politiora ad nos pervenisſent. Hinc jam per annos XXX. prela typographorum Janus non exercuit, donec A. MDLIII. ab Hilario Cantiuncula Venetiis nova, inque duas partes diviſa pararetur editio, et biennio post A. videlicet MDLV. Baſileae per Jo. Oporinum alia rurſus adornaretur; ſed quae ambae editiones nulla acceſſione locupletatae, ea quae adhuc lucem viderant ordine fortaſſis paullo concinniore exhibent, ſed emendationis nulla fere habita ratione, eoque parum nobis opis et auxilii praeſtiterunt. Sequebantur posthinc editiones octava, nona, et decima ab Jo. Sambuco profectae; quarum prima, quae exiit Patavii, e ſolis jam ante vulgatis conſtat, ſed cujus inſpiciendae nulla nobis hoc loco et tempore ſuppetit facultas; altera est Eranemi, quem Florentiae repertum Sambucus una cum ſuis Hungariae Regibus edidit Viennae A. MDLXVII. Francisco Forgachio Episcopo Varadenſi conſecratum; tertia denique prodiit locupletior ibidem ex Officina Casp. Stainhoferi A. MDLXIX. ubi omnia Jani poëmata quae uspiam adhuc edita fuerant et plurima quoque Epigrammata juris publici facta ſunt; adjecta etiam alia parte

quae

quae tota fere tunc primum lucem aspexit; addidit nempe hic Sambucus ſuperioribus editionibus praeter Eranemum quem biennio ante jam vulgaverat I. Carmen ad Ludovicum Gonzagam II. Epistolam ad Fontium; quam tamen perperam ceteris annumeravit, cum ſit opus Angeli Politiani. III. Elegiam ad Galeottum Narnienſem. IV. Titi Veſpas. Strozzae Elegias III. duas ad Janum, unam ad annulum ſuae puellae. V. Elegiam Jani de eodem annulo ad Strozzam. VI. Strozzae reſponſum. VII. Jani reſponſionem. VIII. Elegias porro Jani alias Octo: Ad Franciſcum nempe Durantum Fanenſem: Ad Antonium Mariam binas: Ad Borſium nomine Gaibanae: Epithalamia tria, ad Matthaeum Herbam, ad Salomonem Sacratum et Liberam Guarinam; item ad Gulielmum Caleſinum et Flordemiliam Guarinam; quae ab Jano admodum puero ſcripta fuere: Denique carmen de rerum humanarum conditione, quod admodum est depravatum, nec Jani videtur eſſe. Adjecit inſuper Sambucus Epigrammata plurima, quae Luſus Juveniles ex ſuo ingenio temere inſcripſit, ſed nimirum obſcenis voluit hoc titulo veluti quoddam obtendere ſiparium;

nam negari nequit esse in his epigrammatis quaedam adeo lasciva ut ipsos Catullos, Martiales, Petronios obscenitate Auctor fere aequasse, Theodori certe Bezae Juvenilia superasse videatur. Nos tamen ne haec quidem omittenda putavimus, quippe quibus semper displicuisset ista quorundam ambitiose tristium Scriptores evirandi atque mutilandi cacoëthes, unde nihil unquam ad morum integritatem utilitatis, damna vero innumerabilia prorsus in rem literariam ab omni memoria redundarunt. Etsi vero plurima epigrammata ediderit Sambucus, multa tamen de industria suppressit, vel et audacissime interpolavit, demendo, addendo, mutando, ordinemque perturbando, quae nos integra ad fidem Cod. MS. restituimus. Et sane nihilo fidelius in edendis Jani operibus versatus fuisse videtur, quam in Historia Hungarica fertur, teste ipso Jo. Decio Barovio cordatissimo, doctissimoque viro, cujus de fide Sambuci judicium, quod in praefat. Syntagm. Instit. Juris tulit, apponere libet: *Joannes Sambucus homo, ut nihil aliud dicam, de Historia Hungarica male meritus, etiam ea quae a Ranzano et Bonfinio, peregrinis alioquin auctoribus, vere ac sim-*

simpliciter memoriae posteritatis commendata fuerant, tam turpiter favore partis alterius corrupit &c. Haec ille. Sed de Sambuco satis, quem Lipsius dicebat plus famae quam doctrinae habuisse. Nos autem non tam doctrinam in homine quam fidem et religionem in alieno opere tractando desideramus. Quae post Sambucum usque ad memoriam nostram in publicum exierunt Pannonii nostri lucubrationes, ad Sambuci fere editionem sunt conformatae, vix ullam emendationis curam, novumque culturae studium, ac diligentiam praeferentes. Nam undecima editio Debrecinensis A. MDXCIV. foras data, sed solum Eranemum complexa, tota est e Sambuco expressa; laudanda tamen hoc loco Debrecinensium industria, qui sui popularis poëtae nobile carmen in Urbe sua, liberalissimarum artium semper studiosa luci committendum putarint; quo satis probaverunt se jam tum literis politioribus, et ad humanitatem pertinentibus pretium statuisse justum, deque eruditione vera incorrupte judicavisse. Ex his itaque videmus seculo illo felici post natum Servatorem XVI. Musas mansuetiores ardentissime colente, in Germania, Italia, Hungaria,

ria, diverfis temporibus, et locis undecies Janum nostrum prodiisfe. Seculo fequenti fola editio duodecima renovata est Francofurti A. MDCXIX. in Deliciis poëtarum Hungaricorum per Jo. Phil. Pareum, quae pariter tota e Sambuci editione derivata, omnibus etiam ejus vitiis confervatis atque transcriptis. Tertiam decimam tandem, et quod fciamus, adhuc ultimam hoc quod vivimus peperit Seculum, eamque dedit nobis Ignatius Norbertus Conradi Budae A. MDCCLIV. admodum castratam et mirifice corruptam, ut fi iterum ac tertio cum tot mendis qua ftudio, qua per librariorum incredibilem focordiam admisfis Jani opuscula ederentur, futurus fibi esfet cultisfimus poëta disfimillimus. Hic Norbertus addidit inedita adhuc XX. epigrammata, e MS. Vindobonenfi, quo nos deinde ufi fuimus, a Cl. Kollario fibi transmissa; quibus tamen edendis, illa quae omifit, aut corrumpi pasfus est, haudquaquam redimuntur. Ceterum fuerunt praeter haec, pasfim editae quaedam particulae Carminum Pannonii nostri, ut Elegia ad Constantium per Casp. Heltai ad calcem Historiae Matthiae Regis, Tria epigrammata de Galeotto, a Sigismun-

mundo Torda post praef. praemiſſam Libro Galeotti de dictis et factis Matthiae R. Viennae A. MDLXIII. edito, et aliae alibi.

Haec itaque ſunt illa praeſidia et adminicula, olim a nobis Muſarum amoeniorum ſtudio ad novam carminum Pannonii vatis editionem ornandam collecta, quorum ope emendata, et in vitam uſumque revocata ejus carmina, ſeverioribus cummaxime distenti curis deſcribenda Viro apud nos eruditionis laude clarisſimo, nobisque amicisſimo mandavimus. Labes infinitae ſunt exemtae, gravisſimaeque mendae ac depravationes, quae in omnibus adhuc optimi poëtae editionibus inſederant, et inveteraverant ſublatae; ſed vel ſic tamen ſunt loca quaedam inſanabilia, ac deſperata relicta, quae curationem et medicinam non admittebant propterea, quod neque liber MS. neque editi nobis adjumento fuisſent, conjecturis autem temere nimis indulgere religioni haberemus. Diutius tamen editio libelli haudquaquam premenda et procrastinanda esſe videbatur, non modo a nostratibus, ſed etiam ab exteris eruditis per literas ſaepius expetita; in quibus honoris cauſſa nominandus

dus est Vir Clarisſimus Christophorus Saxius, ſingulare literarum decus, et Academiae Trajectinae ornamentum; cujus auctoritas ut in aliis rebus omnibus ad eruditionem pertinentibus, ita hac in editione admaturanda plurimum apud nos valere debuit, cum propter gravisſimum Viri judicium, tum amicitiam et humanitatem erga nos prorſus ſingularem, magnae nobis ſemper voluptati futuram.

Totum autem opusculum in tres partes distributum est; quarum prima constat ſex heroïcis carminibus, altera duobus Elegiarum, tertia totidem Epigrammatum libris; ita ut prior liber XV. Elegias in MS. exſtantes comprehendat, alter autem reliquas quae in eo non reperiuntur; in priore Epigrammatum libro ſimiliter ea ſolummodo leges epigrammatá CCCLXXXVI. quae idem Cod. MS. habet; in posteriorem illa fuerunt rejecta, quae Frobeniana et Sambucina editiones ad nos transmiserunt, ſed in MS. non exſtant. Calci ſubjuncta Appendix, in qua pauca quaedam cum Jani poëmatis edi ſolita collocata ſunt, ubi etiam locus datus Epistolae ad Fontium, quam male Sambucus, et post hunc editores alii

Ja-

Jano auctori tribuerant. Extremo loco adjunctum videbis epitaphium Vladislai Regis in Varnensi clade caesi, quod fama a majoribus tradita, et omnium fere sermonibus apud Hungaros hodieque celebrata eidem Jano auctori illud vindicaret. Quas vero lectiones in notulis *Vulgares* appellamus, eas editionum praesertim Basileensium, Venetae, Sambucinae, et Pareanae esse scias.

Quodsi vero nostrum hoc qualecunque in gentili poëta emaculando et perpoliendo studium, aequis hujusmodi rerum arbitris probari senserimus, eosdem sperare jubemus tomum alterum, in quo nonnulla Plutarchi et Demosthenis Jano Pannonio interprete de Graecis Latine versa, variasque ejusdem Epistolas, et Orationes binas, nec non elogia, dedicationes, et praefationes doctorum hominum oratione prosa versaque consignatas, cum Vita Auctoris per nos, quoad per inopiam ejus aevi monumentorum fieri licuit, curatius descripta exhiberi, adnotationes denique locis carminum Jani obscurioribus illustrandis jam paratas, cum varietate lectionum praecipuarum, ut Lecto-

ri

ri conſtare poſſit, quae cui vel editioni vel MSto. debeatur adjici curabimus. Vale.

IANI PANNONII

(I.) *Silva Panegyrica ad Guarinum Veronenſem praeceptorem ſuum.*

PRAEFATIO.

Phillyridae monitis cum profeciſset Achilles,
Edoctus pariter gramina, tela, chelyn;
Non Labyrintheos relegentem Theſea flexus
Ante, nec Alcidae monſtra peremta manu;
Nec ſaevum Oebalio proſtratum Bebryca caeſtu,
Nec matris fertur concinuiſſe toros;
Semiferi laudes quam praeluſiſſe magiſtri.
Illa fuit tenerae prima Camena lyrae.
Vix dum fila levi tentarat tinnula plectro,

Adſpiceres placidas accelerare feras.
Iuncti gryphes equis, lepores venere moloſſis,
Contulit accipitri blanda columba latus.
Non tigrim cervus tremuit, non dama leonem,
Sedit et hirſutis agna propinqua lupis.
Mobilis Oetaeo de vertice ſilva cucurrit,
Nuper ad Herculeos ſilva reciſa rogos.
Nudus Athos mutila Lemnon non attigit umbra,
Repſit ad auditos Pindus et Oſſa modos.
Conſtitit Eurotas, et non nebuloſus Anaurus,
Peneum ſupra nec Titareſus iit.
Carmen erat pueri, cithara quantum ille valeret,
Quam bene Paeonia pelleret arte malum.
Noſſet ut iratos dictis lenire bimembres,
Impia tranquilla praelia pace domans.
Te non Ixion fallaci nube creavit,
Saturnus fratrem ſed dedit ipſe Iovi.
Non convivali tibi frangere pocula rixa,
Nubentes ſtudium nec violare nurus.
Tu Phoebi nutris ſobolem, tu ſedulus hoſpes,

Accipis aeternos curva ſub antra Deos.
Pro quibus alta manet meriti te regia coeli,
Contrahit et caudam Scorpios ecce tibi.
Haec pius Aeacides. Mihi pro Chirone Guarinus.
Hunc ſibi praeſcribet pagina noſtra ducem.
Imbuat ille meae, fas eſt, exordia Muſae,
Pierium vati qui reſeravit iter.

PANEGYRIS.

Ruſtica ſi pietas conſvevit rite quotannis
Flaventes Cereri ſpicas, nova muſta Lyaeo,
Arbuta Pomonae, baccas offerre Minervae,
Veris opes Florae, cuivis ſua munera Divûm:
Iure, Guarine, tibi nos carmina noſtra dicamus
Fontibus hauſta tuis; mea nec lyra dignius ullum
Ante ſonet, quam quo didicit crepitare magiſtro.
Verum ego ſi totum docili ſimul ore bibiſſem
Quicquid tu, invidia nil ſubducente, fluebas;

Tantarum haud posſem faſtigia tangere laudum.
Nunc cum parva tuae nobis ſit portio venae,
Quid plus proficiam, niſi quod fortasſe videbor
Susceptorum abs te non immemor esſe bonorum?
Quanquam non alias ſimilem ſperare favorem
Thespiadum nobis liceat; nec juſtius illae
Affuerint ulli, quam te, Guarine, canenti.
Sed de Parnaſi cur nunc ego vertice Muſas
Sollicitem? coeptis tantum ipſe audacibus adſis;
Adſpirasſe ſimul Bromium et Paeāna putabo.
Nam te haud exiguum geſtare in pectore Numen
Certa fides. Quod ſi divinae vatibus hauſtum
Mentis, et inſanis prisci tribuere Sibyllis;
Hae ventura vident, illi quod carmina pangunt;
Quid de te cenſere licet, qui totius aevi
Acta animo comprenſa tenes? nec cudere ſolum
Ipſe potes numeros, magni ſed Apollinis inſtar,
Hoc aliis praebes et tot facis esſe poëtas?
Dos tamen iſta tibi facili non indita caſu,
Sed per difficiles accesſit parta labores.

He-

Heſiodum gelidae paſcentem in vallibus Aſcrae,
Obvia neſcio quae dominarum turba, diſertum
Effecit propere, cum porrexisſet edendam
Laurum, et Caſtalio potum de fonte dedisſet.
Ennius in viridi carpens Helicone ſoporem,
Vidit Maeoniam ſubito vitalibus umbram
Irrepſisſe ſuis. ac pulſa nocte reſurgens,
Dictare annales et condere praelia coepit.
Te nec ſomnus iners, pecudum nec pabula frondes,
Sed propria erudiit ſolerti induſtria cura.
Vix tua reddebat graciles infantia voces,
Cum tibi non vano paribus contendere luſu
Tantus amor, quantus tabula chartave notatos
Balbutire apices et laetae oſtendere matri
Diſcreta inter ſe variis elementa figuris.
Iam tum gaudebas digitis in pulvere ductas
Pingere literulas, et pasſim forte jacentes
Nondum intellectos tamen attrectare libellos.
Femineo quondam celatum ſyrmate Achillen
Callidus Aeolides lituo deprendit et armis;

Te ſi virgineo genitrix velasſet amictu,
Oblato actutum potuisſes codice noſci.
Poſt ubi creverunt ſenſus creſcentibus annis;
Non medicina tibi, ſcitu pulcherrima quanquam,
Actu foeda tamen, Logicae aut placuere protervae
Iurgia, inexplicitos fruſtra nectentia griphos.
Nec verboſarum diſcors concordia legum.
Rhetoras et vates ſtudio complecteris omni.
Quos ſi quis novit, nil ignorare probatur.
Inde carens vitio ſermonis regula ſurgit.
Inde fluit cultae dulcis facundia lingvae.
Hinc disſertandi ſubtile paratur acumen.
Hinc rerum ſcitur ſeries et forma locorum.
Nec minus ingenuae diſcuntur quattuor artes,
Quae numeros, voces, menſuras, ſidera, tractant.
Adde tot humanae praecepta ſalubria vitae,
Dogmate multifido pugnantibus edita ſectis.
Iunge etiam ſemper patientis, ſemper agentis
Materiae fluxus et fata regentia mundum.
Invenies illic (memorem ne ſingula) quicquid

Trad-

Tradidit Aegypto Babylon, Aegyptus Athenis.
Qui Superi et manes: quid agant post corpora mentes:
Quis Deus: unde ingens causarum pendeat ordo.
Ergo nil illis ornatu pulchrius unquam,
Nil usu melius donarunt Numina terris.
Hos tu praecipuos auctorum ex agmine tanto
Deligis, et nunquam foecunda volumina cessas
Nocturna versare manu, versare diurna.
Ac quaevis mixtus rauca inter pulpita ephebis,
Mox praeceptorum non tantum dicta tuorum
Percipis et retines; meliora sed ipse potenti
Ingenio profers; ac te jam consulit omnis
Turba, et discipulus doctori incognita monstras.
Multa tamen suberant libris obscura vetustis,
Praesertim externam nostrae admiscentia lingvam,
Quae cupidam certum penitus pernoscere verum
Mentem obturbabant et desperare jubebant.
Cum tuus ambiguum sic te est affatus Apollo:
Parce tuo, Iuvenis, nimium diffidere voto,
Praemia nec pigeat parituri magna laboris.

Nil non posſe tibi pater annuit; omnia diſces,
Omnia tu veterum monimenta docebis avorum.
Sed non in patria dabitur, Romane, quod optas.
Longinqua emenſo luſtranda eſt Graecia ponto,
Ut tibi ſuccedat perfecta ſcientia rerum.
Multi hanc extremum veſtigavere per orbem.
Sic Plato Memphitas, Samius ſic quaeſiit exul
Asſyrios; ſic, quos vocitant Brachmanas, adivit
Multivagus Tyaneus, Indi mirator Iärchae.
Tu nunquam, per quae reptaſti, tecta relinques?
Anne eſt turpe tibi (quod foedum Varro negavit,
Quod Cato) jam grandem puerilis prima Minervae
Orſa ſequi, et veteris notulas agnoſcere Cadmi?
Vel te forte movet ſolitus ridere loquaces
Inachidas Marius, qui plus cum Marte Lyaeum,
Quam me cum Muſis coluit? Prudentior illo
Arpinas alius, cui copia vocis Achivae
Praeſtitit eloquio cunctos ſuperare Quirites.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui. Auſoniis quicquid ſpectabile chartis,

Ac-

Actaei fudere fenes, et origine prifca,
Vefter ab Aeoliis defcendit fermo Pelasgis.
Nec modo Romanas aliud magis obruit artes,
Quam quod Cecropidum ftudia intermisfa Latinis.
Quare age tu faltem, Danaas poft longa Camenas
Secula redde tuis; tantae primordia laudis
Praeripe, nec dubita praeclarum exemplar haberi,
Quod mox multorum virtus accenfa fequatur.
Neve iter ignotum, medium neu terreat aequor,
Salvum ego te ducam, falvumque, Guarine, reducam
Veronae ad muros, et fama nominis alti
Oceanum tranare dabo, contingere coelum.
His motus ftimulis, vento caput et maris undae
Credis, et Hadriacos, Veneta legis arbore, fluctus.
Laeva monticolae Carni linquuntur et Hiftri,
Nec non Illyriis pasfim gens mixta Liburni.
Tum plaga Dalmatiae, tum Pyrrhi nobile regnum.
His adverfa jacens tellus Oenotria, dextra.
Porro inter Pelopis terras et litora vectus

v. 119. in MSto: falvum Guarine reducam.

Sicaniae, Dictaea Iovis cunabula viſis.
Nec petis oppoſitas, ſine re modo nomen, Athenas,
Plena ſed Aegaeo committens vela patenti,
Tranſis diſpoſitas in magnum Cycladas orbem,
Ac Sporadum nullo ſparſas fugis ordine cautes.
Mox hinc Lemnon, at hinc abſcondis Lesbon et alta
Proſpicis Iliacas Tenedi de rupe ruinas.
Excipit arctatum terris propioribus aequor,
Qua nitido effuſam flevit vectore ſororem
Phryxus, et infelix flevit Leandria virgo
Funera, qua junctam vix credens Seſton Abydo,
Cantat adhuc Medos, nautarum fabula, pontes.
Fuſior inde tua ſulcatur nave Propontis.
Donec in Odryſios cecidit gravis ancora portus,
Aemula Romuleis tollens ubi moenia muris,
Thracius Euxinas anguſtat Boſporos undas.
Vir fuit hic patrio Chryſoloras nomine dictus,
Candida Mercurio quem Calliopea crearat,
Nutrierat Pallas. nec ſolis ille parentum
Clarus erat ſtudiis, ſed rerum protinus omnem

Naturam, magna complexus mente tenebat.
Poſtmodo ſacrilegae rabies quem perfida gentis,
Errori quod ſe ſocium, pius ipſe, negabat,
Sedibus ejectum, Latio transmiſit, avitis.
Sancta nec oſſa viri tumulis jacuere ſuorum,
Sed procul Arctoo rigat haec Conſtantia Rheno.
Hunc petis, et miris tot pulchra ornatibus unum
Quaeris in urbe virum, neu tantum verba docentis
Advena captares; ſed proximus intima vitae
Arbiter inſpiceres; famulus colis atria docti
Hospitis, et mixto geris auditore miniſtrum.
Tam cito non rapuit Neoclides Perſida vocem,
Barbara dum victi ſedet ad praetoria regis;
Quam cito tu ſectam quino discrimine lingvam
Hauſiſti Crasſo longe diſtinctius ipſo.
Nec quisquam Hesperiis natum dixisſet in oris,
Cum tua Mopſopiam ſonuisſent ora loquelam.
Quod plane asſiduus fandi tibi contulit uſus
Ac declamandi toties; nec more ſiniſtro

Py-

Vulg. v. 167. declamatum.

Pythagorea annis ſervata ſilentia quinis.
Scire loqui haud ſatis eſt; penitus ſed nosſe laboras,
Hiſtorici quicquid, quicquid ſcripſere Sophiſtae;
Quicquid divini tegit alma poëſis Homeri.
Inde alias, poſt inde alias tranſcendis ad artes,
Singula deguſtans, quae vel rigidisſima firmat
Porticus; incertis vel contra ſenſibus edit
Helleboro tardam purganda Academia bilem.
Vel ſi quid melius Spatiantûm interſerit ordo.
Quive individuis e partibus omnia fingunt.
Non ſecus ac flavi ſtipatrix Daedala mellis,
Florentem primis ſubiit cum roribus hortum,
Omnia odorati populatur germina veris,
Nunc caſiam, nunc illa thymum, nunc lene papaver,
Delibans, nunc fila croci redolentia parvo
Crure legens, donec ſero jam veſpere notas
Pulſat onuſta fores et cerea tecta reviſit:
Sic Chryſolorei cupide tu pectoris omnes
Carpis divitias et corde recondis in imo

Sed-

Vulg. v. 175 purgata. v. 176. medius.

Sedulus, ac nullam conſumis inaniter horam,
Obſequiisve vacans domini, monitisve magiſtri.
Si quid ab his reliqui ſupereſt tibi temporis unquam,
Vel ſcribis, vel ſcripta legis, vel lecta reponis,
Multa ferens, multa et faciens. ſudoris et algi
Nunquam expers, vini ac Veneris ſed jugiter expers.
Nec magis indulgens ſomno quam pervigil Argus,
Aut Colchus Libycusve angvis vel inhospita Gorgon.
Nam cum te ardenti tandem indormire lucernae
Impulerat totis urgens ſopor invidus alis;
Tu feſſos acri ſtimulabas vulnere ſenſus,
Eduros teneris immergens artubus ungues.
Tantus amor veri, tantae ſapientia curae!
Macte animi, qui tam procul a natalibus arvis,
Inſtabili quantum Symplegade Sirmio; quantum
Pangaeis Alpes, Atheſis diducitur Hebro.
Talia quaerendis perſudas otia Muſis.

Quae ſatis aequa tuo reddam praeconia facto?
Quemve unquam ſimili flagraſſe cupidine dicam

Aoni-

Vulg. v. 202. deducitur. v. 203. forte leg. praeſudas.

Aonidum? Caeco latuit male tonſus in antro
Bellacem orando fregit qui pene Philippum.
Tu, te non propriae ſubter penetralia cellae
Clauſiſti, ſed tam longe ſtudioſus abiſti,
Unde tuis de te nunquam vel fama rediret.
Induit Euclides muliebria tegmina membris;
Dorica pro Latio tu ſumpſti pallia cultu.
Democritus contempſit opes, ſed parte retenta;
Tu nil ſervaſti. Putei mercede Cleanthes
Chryſippi ſecreta bibit; tu mille ſubiſti
Iuſſa cliens doctoris heri. Dimiſit avitos
Fortis Anaxagoras late ſterileſcere fundos;
Tu cor ut excoleres, ſulcis tibi corpus araſti.
Scilicet haud unquam leviter pretioſa parantur,
Nec niſi difficili ſurgunt ingentia niſu.
Nimirum illa rudes mundo abſterſura tenebras,
Ornatura novos, illuſtratura vetuſtos,
Per magnos cumulanda fuit doctrina labores.
Nec te aerumnarum pigeat, Guarine, tuarum.
Sudaſti haud fruſtra, ſuus haec incommoda fructus

Obruit, et longe cedunt diſpendia lucro.
Hic licet Eoos currens ignotus ad Indos,
Barrorum dentes, Arabumve reportet odores,
Pexave lanigeris fulgentia vellera ſilvis:
Alter Hyperboreas timide rimatus arenas,
Eruat innumero ſervatos gryphe ſmaragdos;
Aut Erythraea legat quos celat concha lapillos:
Ille metalliferi ſcrutatus viſcera montis
Palleat, et Stygiis, quam coelo, admotior umbris,
Effodiat, curet quam protinus abdere, maſſam:
Non tamen has aequabit opes. haec gaza Sabaeas
Exuperat ſpecies, ebur, aurum, ſerica, gemmas.
Quid, quod inutilius quidam haud leviora tulerunt?
Perſeus et zephyrum pennis luſtravit et auſtrum,
Tolleret ut domiti pretium Cepheïda monſtri.
Occidui Alcides ſolis devexa ſecutus,
Fulva Phoroneos ut poma referret ad Argos:
Trunca puppe audax Colchos ingreſſus Iäſon,
Serpentum excubias, taurorum incendia, pugnas
Horruit angvigenûm. Quae tantis digna periclis

Prae-

Praemia? flaventi nempe illita lana metallo.
Tu revehis victor, quod non modo vile nitenti
Pellicula, et malis Libycis et virgine fusca
Non mutare velim, sed pro quo cuncta recusem
Quae Mida convertit; quae pollens divite regno
Lydorum, aurifluis collegit Croesus in undis.
Altera perfecto, celebrabat Olympia, lustro
Elis, et Alpheus terrae per operta volutus,
Visa recensebat Siculis solennia Nymphis;
Cum te jam Grajo plenum praecordia Phoebo,
Admonuit patriae leviter Deus aure prehensa.
Ergo recedenti Byzantia Roma recedit,
Nec minus adversam condunt Chalcedona nubes.
Mollis laeva Asiae, dextra de parte ferocis
Vicina Europae tellus fugit, et vice justa
Lata bis angusto succedunt caerula ponto.
Vos o Cyaneo volitantes aëre venti,
Iustitiae fratres, Divae omniparentis alumni.
Qui quatitis terras, et ab imo Nerea fundo

Vulg. v. 252. profecto.

Eruitis; per quos coeli variatur imago,
Ut modo caliget nebulis polus, et modo late
Rideat optati facies tranquilla ſereni.
Unde vices anni, nec non et frigora et imbres,
Unde graves tonitrus et hiulci fulminis irae.
Sic vos Hippotades leni moderamine frenet,
Nec ferus everſum Neptunus vindicet aequor,
Paulliſper cohibete minas et parcite flabris,
Dum ratis haec Italas contingit ſospes arenas.
Non turpes thalamos piratarumve cohortem,
Delicias non illa Phari peregrinave noſtrae
Luxuriae fomenta gerit; meliore coëmtas
Mercurio ſed ducit opes. Hac tota vetuſtas,
Hac una, vehitur facundia bina, carina.
Quae niſi Orionias evadat ſalva procellas;
Fandi ubi cultus erit? divina ubi carmina vatum?
Ingenia Heſperiae quanta ſub nocte jacebunt?
Audimur. Spirant Euri poſt terga ſecundi,

Nec

Vulg. 273. contingat.

Nec deeſt pollicitis proles Latonia Paean.
Ille etiam, Ortygien cum jam tua prora ſubisſet,
Fatidicas in te laurus commovit et ultro
Delia ſortilegi patuere oracula templi.
Nulla nec optavit compleri numine Phoebas,
Dum ſervire ſuos gaudet tibi laeta furores.
Tum ſic ex imis cortina remugiit antris;
O felix! longam, placido cum funere, vitam
Cui tribuit pater, et decus indelebile clari
Nominis, et centum numeroſa e prole nepotes.
Id tantum, Guarine, cave, tua ne bona ſolus
Posſideas, unive tuus tibi luceat ignis.
Edita nec caeca te ſors ambage ſefellit.
Illico ſenſiſti tua te impertire juberi
Omnibus, et ſacros doctrinae effundere rivos.
Inde futurorum jam certior, aequora rurſus
Menſa remetiris; nec longum tempus, et urbem
Ingrederis Venetam ſpoliis Orientis onuſtus,
Non Mavorte fero, placida ſed pace paratis.
Laus fuit haec veterum, patrias traducere ad oras

Si quid in orbe alio pulchrum rarumve notasſent.
Tranſeo te regum victor, Luculle, duorum,
Ornaſti Latios Scythicis qui fructibus hortos,
Nobiliora ſequar. Populo monſtravit hianti
Mummius everſa, viventia ſigna, Corintho,
Perſei Scaurus dedit oſſa immania ceti.
Regulus immenſi transmiſit terga draconis.
Hic primus media diſcurrere fecit arena
Spectatas non ante feras, Italiſve volucres
Ignotas iucis, a Nilo aut Phaſide duxit.
Ille novum lapidem Phrygia Libyave petitum,
Mirave longinquae portavit robora ſilvae.
Tu Latio cunctis infers majora triumphis,
Quae nec magnanimi dives victoria Pauli
Aequarit, Cypro nec quod Cato vexit opima.
Troïus Aeneas raptos ex hoſte penates
Attulit, et matrem torva cum Pallade Veſtam.
Tu Divos Itala dudum tellure fugatos
Reſtituis; tecum virgo Tritonia, tecum
Somnifera inſignis virga Cyllenius ales,

Tecum deſerto remeant Helicone Camenae.
Tu Bacchi thyrſos et Phoebi plectra reducis.
Vix tactum bene litus erat, vix janua ludi,
Mandatis adaperta Dei; vagus omnia rumor
Gymnaſia Italiae centeno murmure complet,
Affulſiſſe virum, gemina qui Pallade ſolus
Polleat, et duplicem praeſtet ſitientibus hauſtum.
Curritur ad biſidi ſvaviſſima flumina fontis,
Atria nec capiunt ſtudioſas ampla catervas.
Mirantur cuncti melius vel noſtra docentem,
Vel nova Erechtheae promentem nomina lingvae.
Mirantur caecis tandem prodire latebris
Senſa tot auctorum mille indeprenſa per annos,
Nec prius auditos puduit riſiſſe magiſtros.
Verborum pars nulla perit, ſed cuncta citatis
Excipiunt calamis et longa in ſecla recondunt.
Ceu cum depaſtis late foenilibus, aegrum
Lenta gregem tenuavit hyems, et debile langvet

Ie-

Vulg. v. 333. Erichtaeae.

Iejuna pecus omne fame, si frigore pulso
Afflavit tepidos zephyri clementia campos,
Ocius erumpunt stabulis armenta reclusis,
Ac primum virgas et quaelibet obvia tondent;
Quodsi maturas jamdudum vallis apricae
Planities ostendit opes; huc agmine facto
Irrevocata ruunt et laeto vere fruuntur,
Pastorum tacitas perteutant gaudia mentes.
Ad tua sic avidi contendunt limina coetus.
Ut meliora novae decerpant dona Minervae,
Ast aliis deserta vacant subsellia, nec jam
Ipse manet cathedra modo qui dictabat ab alta,
Sed se discipulis comitem properantibus addit.
Omnis conditio, sexus simul omnis et aetas
Accelerant, plebi stipatur curia. mixti
Primaevis cani, maribus sedere puellae.
Multi, quos vitae ratio diversa tenebat,
Iam Musas et plectra volunt. Mercator avara
Prosilit a mensa. Neglecto durus aratro
Rusticus, et posita festinat cuspide miles.

Nec reliquis pretium manet artibus; ars tua cunctis
Praefertur ſtudiis. Radio geometra relicto
Te petit. aſſvetus rerum disquirere cauſas
Se tibi ſubmittit ſapiens. tua tecta frequentant
Morborum curas et legum ſcita profeſſi.
Patribus in primis ſummi pia gloria voti
Erudienda tuae committere pignora curae.
Nam quis te melior vel provexiſſe volentem,
Vel contra ignavo diſcendi ſubdere calcar?
Principio recte das fundamenta loquendi,
Recte ſcribendi compendia tradere callens,
Ne lingva accentu, calamo ne dextera peccet.
Mox argumento formatur epiſtola ficto.
Proxima volvendis annalibus otia dantur.
Declamare dehinc et carmina fingere monſtras,
Dum matura ſuam facundia creſcat in arcem
Per certos evecta gradus. Nec ſcripta recenſes
Omnia, ſed tantum recipit quae fida vetuſtas.
Quodſi quem imbutum non pura fruge notaſti,
Agricolae ritu filicem prius eruis arvo,

Semina deinde jacis fructus latura metendos.
Par morum doctrina tibi; quis Zeno? quis unquam
Sic potuit Crantor vitiis avertere mentes,
Ac teneram dextro pubem deducere ramo
Anguſtum qua ſurgit iter? Non cera figuras
Tam digito ſubigente trahit, quam mollis ephebus
Te ducit fingente virum. Nec verbere torvo
Aut ferula inſanis, ſed majeſtate potenti
Tranquillus delicta premis; cesſante flagello
Objurgatā tuis paret laſcivia frenis.
Nil igitur mirum ſi te mercedibus amplis
Tot ſibi certatim populi petiere magiſtrum.
Nec vero tu te prius una in ſede locaſti,
Quam ſparſa innumeras tibi diſciplina per oras.
Sic genitus Celeo Siculae nova ſemina matris
Non Pandioniis tantummodo condidit arvis,
Sed procul aërio vectus per inania curru,
Chaonias late jusſit vileſcere glandes.
Emeritos donec taciturni conſcia ſacri

Orbe peragrato colubros disjunxit Eleufin.
Tu mare frenantes Venetos, tu Antenoris alti
Inftituis cives. tua te Verona legentem,
Finis et Italiae ftupuit fublime Tridentum.
Nec jam flumineum referens Florentia nomen.
Ac Phoebo quondam, nunc facra Bononia Marti.
Tandem manfurum placida ftatione recepit
Pacis et aligeri Ferraria mater Amoris.
Qua Padus in geminos Iterum fe dividit amnes,
Luget et ambuftum fratrem pia filva fororum.
Hic tum NIcoleos rerum retinebat habenas,
Stirpis Ateftinae clarum decus; ille venuftis
Artibus ut natum fimul exornaret et urbem,
Te Phaëthonteos Mufis facrare colonos,
Te Leonelleae voluit fuperesfe juventae.
Oppida nam fieri Plato fi felicia dixit,
Purpura cum fapiat, vel cum fapientia regnet;
Divinum hic quiddam tum duxit jure futurum,

Si

Vulg. v. 400. Eleufis.

Si rector doctam moderetur doctior aulam.
Nec frustrata virum sua spes; videt ecce suprema
Aetheris e specula, quod tota mente petebat.
Nam cultam studiis Leonellus cultior, alma
Sic in pace regit patriam, sic jure quieto
Temperat, ut reliquis late cum ferrea volvat
Urbibus, huic uni vehat aurea tempora Titan.
An non Saturni sunt illic secula patris
Bella ubi nulla fremunt, nisi quae descripta leguntur?
[Se]mper ubi laetas populo plaudente choreas,
[illegible]s festa sonant, et picta palatia surgunt,
[A]rva foris gravido locupletat Copia cornu?
Fortunati ambo. plebs praeside, plebe tyrannus.
Ambobus sed tu tantorum causa bonorum.
Per te belligeris praelatus fratribus, alto
Ille sedet solio, monitis et se inde fatetur
Profecisse tuis, quod te complectitur omni
Parte sui et seris mandare nepotibus optat.
Nec secreta tibi Larium negat ulla suorum,
Formandam pariter credens cum conjuge prolem.

Per te, Mars alias lituis dum perstrepit oras,
Sola vacat citharis Ferraria, sola triumphat,
Principibus foecunda piis, foecunda disertis
Civibus, et pariter cunctis habitata Camenis.
Nec solas, quas ipse doces, hic cernimus artes.
Adsunt et reliquae, sed tu dux omnibus illis.
Tot siquidem medici, gemino tot jure periti,
Tot triplicem amplexi sophiam, te propter in istum
Confluxere locum; Tu si vada Syrtis iniquae
Incoluisse velis, Scythicove in vertice sidas,
Si vaga Sarmaticis figas tentoria campis,
Aut in Getulis habites magalibus; illic
Gymnasium fiet, studia illuc cuncta meabunt.
Verius ergo potes dici tu conditor hujus,
Quam qui cornigerum jungens cum matre juvencum,
Primus ei, ducto sanxit pomoeria sulco,
Transtulit et curvum, portam dum signat, aratrum.
Scilicet est majus fragiles attollere pinnas,

Ag-

Vulg. v. 452. cornigeram - juvencam. In MSto: cornigera j. c. matre juvencam.

Aggeribus fosfas praecingere, turribus arces,
Quam populo filvis excito ac vallibus imis,
Ingenuas artes et vitae inducere cultum!
Quin et ftructorum celebravit honoribus illos
Fama prior, per quos vaga turba coïvit in unum
Corpus, et infulfum gentes pofuere rigorem.
Nec fecus Amphion Tyrios, me judice, muros,
Cynthius erexit Phrygios; dum pectine dulci
Attractas cogunt in moenia crefcere petras.
Vox, chelys illa, fuit, duri, faxa illa, coloni.
Hoc, Guarine, tibi nuper Ferraria, pacto
Fundata eft; talem tua quam praefentia fecit,
Ut jam nunc veteri tam fit diverfa juventae,
Plena fenefcenti quam diftat Cynthia Lunae.
Ante rudis rerum, nunc ipfis aemula Athenis,
Nulli nota prius, totum nunc clara per orbem,
Incelebris quondam, magni nunc hofpita mundi.
Nam te audituri terrarum ex omnibus oris

Huc

Vulg. v. 459. celebravit nomine tales. v. 468. diverfa Niveato. MS.

Huc coïere viri; qua nec te Oenotria tantum,
Miratur. movere tuae praeconia famae
Hos etiam, Mufas qui condemnare folebant.
Ad te permenfo defcendit Dalmata ponto.
Ad te Creta, Rhodos, properavit et ultima Cypros,
Sole Rhodos, Iove Creta, Cypros Cythereïde felix.
Pro te Sequanicos Galli fprevere magiftros,
Germani argutam pro te liquere Viennam.
Venit et Herculeis vicina Hifpania metis.
Axe fub Arctoo pofiti venere Poloni.
Venerunt alio volitantes orbe Britanni.
Me fimul hos inter, fatis et forte Deorum,
Pannoniae tellus tenero tibi mifit in aevo,
Qua mox Danubio mixturus nomen et undas,
Pingvia culta fecat leni jam gurgite Dravus.
Urbs fi quem tota una colit, fatis esfe beatus
Creditur, et tumida refupinus laude fuperbit.
Ludi turba tui eft quicquid jacet inter Hiberum
Ac Tanain, quicquid difcedunt Cydnus et Albis.

Qua-

Vulg v. 492 quan um.

Qualiter in mediis reddens oracula Delphis,
Gentibus a cunctis acceditur augur Apollo,
Hunc notus et boreas, nec non occasus et ortus
Consulit in dubiis, et rerum abscondita discit,
Quis bello morbisve modus; prudentia cujus
Prima viri; miseros quis felicissimus inter
Mortales; quae longarum fortuna viarum.
Ille licet caecis penitus demersus in antris,
Tempora cuncta tamen momento cernit in uno.
Volvere nec Parcae, populive inquirere tantum
Sufficiunt, quantum solus valet edere Paean.
Sic ad te toto certatim ex orbe profecti,
Agrestes animos et barbara corda reponunt.

Nec tuus assiduo fons unquam deficit haustu,
Purior et major sed in omnia pectora manat.
Ut Pharon immenso foecundat flumine Nilus,
Magnus ut Euphrates Chaldaeos irrigat agros,
Gurgite nec tantum collectus laberis uno,
Sed velut innumero prorumpens ore Timavus,

Mul-

Vulg. 497. pacive.

Multiplices aperis rivos. ſcatet ille Latinis
Artibus, hic Grajis. bibit hinc provectior aetas,
Inde minor. prima ſeu quis maduiſſe Minerva,
Rhetorico potius cupiat ſeu nectare tingi,
Seu velit annales, ſeu dia poëmata vatum.
Quos tu non trito vulgi de more, retexis,
Plana et aperta ſequens; ceu qui vaga retia ſummis
Ducit aquis, fundo nec praedam quaerit in imo.
Grandia ſed parvis, ſublimibus infima miſcens,
Nil indiſcusſum penitus, dubiumve relinquis,
Syllaba uti nullum, tenuis vel litera fallat.
Qui ſtructurae ordo; quae ſit ſententia vocum;
Quae nota verborum ſervata fidelibus annis;
Quodlibet a quanam decurrat origine nomen,
Quid diſtent unum quae ſignificare videntur;
Qui ſtilus, aut numeri ſpecies; quis carminis auctor;
Argumenta quibus veniant e ſedibus; et quos
Excuſet ratio, commendet forma colores;
Narrandi quae lex potior; quod ſaepe per artem

In

Vulg. v. 522. Syllaba vel nullum ut tenuis vel.

In medio ſoleant prima et poſtrema locari,
Nec ſe a principiis moveat tractatus et imos
Deſinat in fines; ſed gratius ordine verſo
Ultima praeveniat, longe prius acta reſervet.
Tunc tamen exuperas cum rerum abſtruſa recludis,
Cum veterum ſectas inter figmenta latentes
Producis; nec te ſolertior edere quiſquam,
Myſtica ſecreto quid celet fabula ſenſu.
Quod vaſtum ſine lege Chaos; quae bella Gigantum;
Qui Pyrrhae lapides, Phaëthonteive calores;
Quas Progne plumas, quae cornua ſumſerit Iō;
Daedalus arma quibus Minoïa fugerit alis;
Quae vis reppulerit ſolem; quo robore coelum
Fulciat altus Atlas; quod virus Gorgonos atrae;
Quid facies habituſve notent et ſacra Deorum.
Nempe etiam quoties divinam Aeneïda verſas,
Haud fruſtra Aeolio ventos in carcere ponis,
Ter quater et dictos oſtendis jure beatos.
Quid ſupplex Erycina patri; mutatave Divae

Eſ-

Vulg. v. 532. ſe principiis. v. 545. Docent.

Effigies; vel nube cava conteꝺtus Achates.
Illa tot in primis ſtabulantia faucibus Orci
Quid ſibi monſtra velint; quae tres ex ordine Parcae;
Quae totidem Furiæ; quod rami divitis aurum;
Quam pulchrum occulta condant ſub imagine verum
Trux avis, unda fugax, volucris rota, pendula moles,
Ac reditura ſilex, et futilis urna ſororum.
Quae rabidi tria colla canis; quae cruda ſeneꝺtus
Remigis; Elyſiae quae pigra oblivio Lethes;
Cur novies fuſam metuant Styga fallere Divi;
Cocytus lacrymis, Phlegethon cur igne redundet;
Per geminas diverſa volent cur Somnia portas;
  Nec Smyrnaea minus belle penetralia pandis,
Qua tenuit Siren, qua vi Titania vertit;
Qui Veneris ceſtos; triplicis quae flamma Chimaerae;
Quid Iovis adjutor Briareus; dejeꝺtus ab alto
Mulciber; incluſus cavea Gradivus ahena;
Aethiopum menſae; cum conjuge Tethyos irae;
Aurea quid ſignet pendens et aethere funis.

Ta-

Vulg v. 563. Tytanida. v. 566. grandaevus.

Talia dictantem pronis te aurita juventus
Senſibus attendit. Sic cum Lesbous Arion
Dorſa recurva premens mediis tinniret in undis
Dulce melos, toto cantu commota profundo
Monſtra maris, ſaevos damnarunt mitia nautas.
Sternuntur fluctus, rupto caput excita ſomno
Phoca levat, nec tarda ducem balaena moratur,
Raucum Nereides rident Tritona protervae.
Non Acin Galatea gemit, non mater Achillen.
Nec plus Inoae meminit Melicerta ruinae.
Non centum ſaltare vetant Aegaeona nodi;
Fatidicus Proteus ſtat vultu immobilis uno;
Nec vitasſe velit mutantia gramina Glaucus.
Iam ſilet, Iſthmiacis ſiccat jam ſolibus udos
Ille ſinus, et adhuc fervent freta lata choreis.
Ipſe dies pulchro diſtingvitur orbe laborum.
Mane ſalutatis, petitur ſchola publica, Divis,
Socratis antiquo nil concesſura Lyceo,

Tot.

Vulg. v. 580. ſtat motu immobilis uno. v. 581. Nec mutasſe velit.

Tot juvenum clara fulget ſtipata caterva.
Vergilius primum legitur, vel proximus illi
Quilibet; hunc ſequitur qui contudit arma togatus;
Aut implere vicem Ciceronis idoneus alter.
Exin vicinam conſcendis Principis aulam.
Hic te Nicoleos audit Leonellia proles,
Ac morum ſimul et ſtudiorum inſignia ſumit.
Talis Ariſtoteles rerum ſecreta docebat
Pellaeum juvenem; quibus ille accenſus in omnes
Extendit terras animos; nec digna magiſtrum
Deſtituit merces. nam compenſante Philippo,
Inſtaurata manet pretium Stagira laboris.
Poſt reditum prandere datur, gula dicere poſſit
Quod modicum; natura ſatis. poſt prandia rurſus
Lectio codicibus miſcetur Graja Latinis.
Ac variae ſub te certantur judice lites,
Donec in occiduum declinet Cynthius axem.
Haec inter, cunctis late tua janua tota
Luce patet; notae deſervit veſpera turbae,
Quam tecum domus una tenet; non temporis illic

In-

Incaſſum momenta volant; ſaepe exule ſomno
Ad pingves longa vigilamus nocte lucernas,
Aethereis noſtros aſtris mirantibus ignes.
Agmine tu medio ſublimis vel nova dictas,
Vel dictata iteras non intellecta, paratus
Quaeſiti decies aenigmata ſolvere nodi.
Sed minus eſt cultas abs te quod diſcimus artes,
Plus quod virtutes. procul hinc maleſvada libido,
Improba rixa procul. Sic te ſub praeſide cuncti
Degimus, aeditimos templis ut degere fas eſt.
Tanta quies animis, ea caſti cura pudoris!
Vidi ego non unum, quem perditus ante ferebat
Transverſum luxus, poſtquam tua limina dextris
Contigit auſpiciis, mores poſuiſſe ſiniſtros.
Ut quondam audito Polemona Xenocrate dicunt
Corruptum ſubito vitae mutaſſe tenorem.
Scilicet a fructu felix agnoſcitur arbos;
Laeta probat meſſis quam pingvi creverit arvo.

Haud

v. 609. Quidam: vincentibus ignes.

Haud aliter qualis tua ſit doctrina, pateſcit
Diſcipulis, Guarine, tuis. non Daunia tantos
Olim terra viros, nec dives Iōnia fudit
Siccave Cyrene vel Nilo interflua tellus;
Quantos tu latum ſparſiſti ſolus in orbem.
Inde duplex Venetae proceſſit gloria gentis,
Barbarus, et plectro celeber Leonardus eburno.
Inde Iovis genitus de ſtirpe Georgius alti,
Cretaea, ſimili pavit quem lacte, ſub Ida
Digna polo nutrix, et apes non rauca ſecutae
Cymbala, purpureis mel congeſſere labellis.
Hinc veterum nulli cedens Caſtellus avorum.
Martius et, Latiae nunc jam lux altera lingvae,
Martius undiſono quem Narnia monte creavit,
Martius aeternum Iani ſub pectore nomen.
Hinc Aganippaeo Tobias fonte rigatus.
Sed Titus hac ipſa longe perfuſior unda,
Seu lituo pugnas, cithara ſeu cantet amores,

In-

Vulg. v. 628. Sicana. v. Sicave.

Intexens Paphiae laurum Parnaſida myrto.
Clarus et hiſtoria Fatius; nec dignus iniquis
Iam Petrus podagris, et acerbo Lamola leto.
Multi praeterea, quorum ſi nomina quaeram,
Promtius enumerem veris tibi gramina, foetus
Autumni, brumae nimbos, aeſtatis ariſtas;
Aſtra quot in coelo, pelagi quot in aequore conchae.
Quos inter nec me venientia ſecla tacebunt.
Primus ego Eridani patrium de gurgite ad Hiſtrum
Mnemonidas Phoebo ducam comitante ſorores.
Primus Nyſaeos referam tibi, Drave, corymbos,
Ac viridi in ripa centum ſublime columnis
Conſtituam templum, media, Guarine, ſedebis
Aureus in camera, picto ſuper iridis arcu,
Inſiſtens Lunam, radiis et ſolis amictus.
Ut nec Phidiacum miretur Piſa Tonantem,
Nec Rhodos immani ſurgentem mole Coloſſon,

Sta-

v. 652. Quidam: Mnemoſidas. Vulg. v. 653. Primus ego Nyſae.
v. 657. Lunae,

Stabunt et vivis ſpirantia ſigna figuris.
Idaeam asſimulans conjux Thaddaea parentem,
Bis ſenae juxta facies, tua ſancta propago,
Coelicolûm totidem vultus imitata ſerenos.
Omnis ibi Europae ſacris operata juventus,
Suſpendet tibi dona tholo, certabit et omnis
Non caeſtu crudo pubes, nitidave palaeſtra,
Sed fidibus tentis et ſvave crepantibus hymnis.
Victores apio crinem cingentur amaro,
Ipſe coronatus vittis et fulgidus oſtro,
Inter pſallentes, candenti in veſte, miniſtros,
Pontificis ritu fumos adolebo Sabaeos.
Interea has tenerae tibi me ſacrare juventae
Primitias, triplici jubet haerens Gratia nexu,
Gratia Lethaeos nunquam potura liquores.
Tempus erit cum jam maturis viribus audax,
Sangvineas acies et Martia bella tonabo
Ioannis magni, quantis modo caedibus acres

Tur-

Vulg. v. 661. asſimilans. v. 664. Omnis et.

Turcorum obruerit populos; quibus ille profundas
Aequarit valles cumulis; ſcit ſaepe cruentus
Hebrus, et albentes etiam nunc oſſibus agri
Paeoniae, ac mediis Rhodope calcata pruinis.
Nunc te, qua poſſum, tenui modulabor avena.
Otia forte tibi ſi quando parva legendi,
Feſtave lux, annive quies conſveta, remiſit;
Cetera cum ſolos diſcurrit turba per agros,
Meſſe peruſta genas, presſiſve immunda racemis;
Tu condis transferſve aliquid quod proſit in uſus
Communes, et te memori procul inſerat aevo.
Aut vernum ad ſolem cum garrit aprica ſenectus,
Vel mediis brumae tenebris Caprive diebus,
Cum ſtertunt reliqui, cella tu clauſus in alta,
Abrodis digitos, pluteum vel caedis et atro
Paullatim niveam ſignas humore papyrum.
Unde, licet tanto curarum pondere presſus,

665. Plu-

Vulg. v. 679. tumulis, ſtet ſ. cruentus. v. 690. Cancrive. v. 692. Quidam: Adrodis.

Plura ſecuturis animi monumenta dediſti,
Quam qui ſecreta vacui ſpatiantur in umbra.
Illa docent ſtructis adnectere nomina verbis,
Haec vocum explanant proprias ex ordine vires.
Iungis ad haec, magni fuerit quae vita Platonis,
Blandus adulator rigido quid diſtet amico.
Miſſa nec in levibus juvenatur epiſtola nugis,
Sed ſemper ſtudiis aliquid, vel amoribus affert.
Haec etiam poſſim multorum aequare libellis
Quae ſeris in cathedra, vel ſi qua ex tempore profers.
Sin meditata ſonas; funduntur pectore ab uno
Iſocratis numeri, Xenophontis gratia, torrens
Iſaci, cultus Lyſiae, Demoſthenis ardor.
Qualem te ingenuas laudantem audivimus artes,
Cum pridem Octobres ſtudiorum exordia nobis
Reſtituere Idus, et miſſo in dolia muſto,
Garrula ſollieiti rediere ad ſcamna comati.
Quis tunc Muſarum ſacris non ignibus arſit?
Quem tuus Aonio non impulit Euchius oeſtro?
Aut qualem rapti nuper te, in funere diro

Principis, orantem triſtis Ferraria ſenſit.
Tempore non homines tantummodo luximus illo,
Mite genus; planxere ferae, planxere volucres;
Moeſta comas nullis excusſit flatibus arbor.
Moeſta cavis gemuit plorabile rupibus Echo.
Ipſa dolor tetigit coeleſtia; fletibus auctum
Vix ripae tenuere Padum; nec largius unquam
Gemmea populei lacrymarunt ſuccina trunci.
Orphea ab Elyſiis remeasſe elementa putabant
Vallibus, et nuptae mortem deflere ſecundam.
Inachiae vero tibi tanta peritia lingvae,
Ut ſacer haud alio traduci interprete malit
Plutarchus, chartis nec plus ſe agnoſcat in ullis,
Ambiguus patrione magis ſermone niteſcat,
Sive rudimentis pueriles inſtruit annos,
Sive alterna ducum committit facta priorum.
Iſte tamen juveni dederat praeludia quondam,
Majorem natu magnus nunc Strabo fatigat,
Pontificis ſummi jusſu. Quae gaudia pubis
Pieriae, cum jam ſupremum raſus ad ungvem,

Cedron olens, minio rutilans, et pumice laevis
Servantis tandem loculos evaserit arcae?
Felices annos, felicia nostra profecto
Tempora! quis tantum duce te cognoscere primis
Auctorem licuit; quo non diffusius alter
Explicat, inclusum Neptunus ut ambiat orbem,
Quo de fonte ruant medias dirimentia terras
Aequora; vicinis quaenam discrimina regnis;
Qui passim populi; silvae, juga, flumina, portus,
Oppida; quo quaevis fluitet circumsona ponto
Insula; distantum quae sit mensura locorum.
O qui nosse cupis quicquid de Tethyos undis
Eminet; Alcides quantum vel Liber obivit;
Hoc lege creber opus. brumales haec tibi somnos
Contrahat, et multum, membrana, absumat olivum.
Quodsi Cecropiis non summus in artibus esses,
Primus eras; reliqui vel te didicere magistro,
Aut in discendo tua sunt exempla secuti.
Praecepta et multis tribuisti, exordia cunctis,
Nec quisquam norat Cadmea elementa Latinus

An-

Ante tuum in Thracas felix iter; at modo nemo
Iam Sicyona petat, fabricatricemve Corinthon,
En habet in mediis, illud quod quaerit, Hetruſcis,
Italia ut per te major ſit Graecia rurſus,
Ac redocere rudes ſua dogmata posſit Achivos.
Ergo quae reliquis contingunt ſingula, ſolus
Iuncta tenes, et plena datur tibi ſumma bonorum.
Sunt qui ſcripta animo penetrant aliena ſagaci,
Ipſi nulla queunt inopi deducere vena.
In latebris aliqui non ſane vilia cudunt,
Sed coram denſis nil hiſcere coetibus audent.
His Latia claris lingva deeſt Graja facultas,
Vel ſi forſan adeſt; non ſic ut vertere posſint.
In te concurrunt ſimul omnia, nec prior ullus
Auctorum arcanas penitus deprendere mentes,
Reddere Romana Danaum gravitate leporem,
Dicere vel nexa pedibus, vel voce ſoluta.
Quae duo vix unquam tribuit Caduciſer uni.
Vatibus et cum ſit vel ſimplicis ardua metri
Gloria; tu pariter quaevis in carmina promtus,

Nunc

Nunc gravis Heroo graderis, modo curris Iāmbo,
Nunc triſtes Elegos, modo laeta Anapaeſtica ludis.
Quidam nil aliis tradunt, cum plurima norint,
Seu livore aliquo, ſeu quae ſit norma docendi,
Ignorant, fugiunt ſeu taedia dura laborum.
Haec tua praecipue laus eſt. quippe haud tibi credis
Te ſoli genitum, ſed toti protinus orbi.
Viventes hinc ore mones, per ſcripta futuros,
Ut jam uni triplex aeque tibi debeat aetas;
Praeterita, extinctos veterum quod reddis honores,
Poſtera, quod calamo; praeſens, quod voce laboras.
Pro quibus officiis, doctorum jure virorum
Te chorus omnis amat, reveretur, laudibus ornat.
Tu pater et princeps, tu cenſor et arbiter illis,
Si quando dubiis diſcors ſententia pugnat
Iudiciis; faſtu nec ſic tumet ullus inani,
Ut non esſe tibi ſe praedicet ipſe ſecundum.
Tres te Aretini, Luſci duo, Poggius unus,
Suſpiciunt pariter; quamvis laudatus ab illo
Scipio, Caeſareis, te vindice, cesſerit actis,

Te Victorinus veneratur, et ipſe Philelfus,
Sfortia qui laxis cecinit modo praelia nervis.
Rupibus et ſparſos decorans Vergerius Hiſtros.
Te placidi vates, Clarium ceu numen, adorant,
Te colit et tantis e millibus approbat unum,
Nec tua dicta unquam ſtellis verubuſve notavit,
Corrector veterum, contemtor Valla novorum.
Me tamen haudquaquam tua tam facundia praeſtans,
Quam perfecta movet virtus, et deſino lingvam
Mirari nimium, quoties conſidero vitam.
Eximium quamvis, adeo ſanctisſima vincit
Eloquium probitas, et cedunt moribus artes.
At bona pars vitiis animi, decus oris opimi
Inquinat, et quantum doctrinae luce reſulget,
Tantum criminibus ſordet polluta nefandis.
Prima tibi eſt ſemper magnorum cura Deorum,
Quos te prae cunctis mortalibus unice amantes,
Aequali pietate colis, mox ipſe colendus
Proxime poſt Superos hominum, quos rite ferino
Aevum agitare vetas; quos ore et corde politos

Ac

Ac vere facis eſſe homines; quin morte ſubacta
Vincere fata doces, et iter ſuper aethera monſtras.
Nec te unquam trepidae rapuit ruber impetus irae.
Quin etiam dentes paſſus Livoris iniqui,
Carpentûm nunquam potuiſti carpere mores.
Nec tua in alterius valuit facundia famam,
Auſoniis hodie vitium commune diſertis.
Sed ſemper facies hilaris tibi, mixta lepori
Semper ineſt gravitas, ac mitis ruga ſeverae
Frontis, et in laeto non dura modeſtia vultu.
Inter diſcipulos et caros inter amicos,
Iucundi ſine felle ſales, et melle faceto
Conditi; nec rus ſapiunt tua dicta, ſed urbem.
Qualia Cecropiis olim ſonuere theatris,
Quae doctus magni praeferret Tiro patroni
Luſibus, et promti mallent ſtrinxiſſe Lacones.
Haud tamen idcirco tibi diſciplina tuorum
Laxior; horreſcit rigidos domus intima frenos,

Ac

Vulg. v. 830 ſtruxiſſe.

Ac famuli dominum, nati novere parentem,
Quos tu temperie tali moderaris, ut illos
Non premat aſperitas, non indulgentia ſolvat.
Hinc animis vigor et probitas; hinc pectora ſacris
Culta Deo ſtudiis; et ne morer, omnia patris.
Sed longe ante alios minimus de ſtirpe virili
Eminet, et fratres tantum Baptiſta verendos
Antevenit, quantum reliquis intermicat aſtris
Sirius, aut verſans plauſtrum glaciale Bootes.
Iam cathedram doctor, jam ſcandere pulpita rhetor
Audet, et intentas fando ſuſpendere mentes.
Plauſibus exultant aedes aut templa Deorum,
Dum favet et juvenem laudatrix concio flammat.
At tibi praedulces rumpunt pia gaudia fletus.
Non ſecus ad patrium carmen gentile Cayſtrum,
Cum tener edidicit defecti pullus oloris,
Tentat et ipſe modos, nec jam genitore canoro
Deteriora crepat; tum protinus agmine denſo
Mirantum ſeptus volucrum, candentibus alis
Tollitur, et dominum quaerit ſuper aethera Phoebum.

Ille volat, pulsae resonant modulamine nubes.
Sed nec munificum quisquam neget esse, quod amplas
Haud dispergis opes, contentus et ipse pusillo.
Quod non ulla tuo fremitant spectacula sumtu,
Nec Paron imminuunt tacturae sidera moles.
Quod tua plaudentem non pascunt horrea vulgum,
Nec populare pluit rapiendos missile numos,
Non ideo non tu longe diffusior illis
Quos tam vana juvant. donis meliora caducis
Te tribuente tui capiunt, Guarine, clientes,
Quae saturent avidas indeficientia mentes,
Nec senio valeant aboleri, aut fulmine frangi;
Ad furum secura dolos et tela latronum.
Haec tu dispensas, haec tu partiris in omnes,
Tam justa trutina, nulli ut sua portio desit,
Sed referat quivis quantum capit arca cerebri,
Tam tenui pretio nemo ut non solvere possit.
Multi quippe tibi nulla mercede docentur,

Om-

Vulg. v. 857. Pharon. v. 859. placet-mittere. v. 862. carpunt.

Omnes exigua; quanquam quae digna Camenis
Penſio? quis totum virtuti aequaverit aurum,
Quod Scytha, quod Beſſus, quod Arabs, quod congerit Aſtur?
Quid memorem parcae frugalia fercula menſae?
Ingenium ſimul et nervos laedentia puris
Vina domas lymphis; ac ſola more vetuſto
Contentus coena, vix unquam prandia noſti.
Quae tibi ſobrietas hos plane contulit annos,
Ut jam bis decimi tangens confinia luſtri,
Non pede, non oculo, non ſenſu debilis ullo,
Purpureum clara ſerves cum voce colorem.
Vive, precor, quantum non ipſe Gerenius heros,
Quantum non Phoebi volucris rediviva; nec hauſto
Pulvere menſa ſuam virgo Cumaea ſenectam.
Vel potius gravior quoties acceſſerit aetas,
Vernantem primo reddat tibi flore juventam
Diva miniſtratrix aeterni nectaris Heba.
Nec te prae noſtro, capiat pater inclyte, mundo,
Elyſiumve nemus, vel coeli tertius orbis,
Qua rarus viſu Cyllenes errat alumnus.

Sed sis perpetuus studiorum praesul, et istis
Mersarum in tenebris animarum publica lampas.
Dum servant elementa fidem; dum sidera currunt;
Haec studia, hic omnes vitae tibi cursus in annos,
Haec clara humanum merita in genus; inde per orbem
Victurum, mundi dum stabit machina, nomen.

Salve magne parens, cunctis decus addite seclis,
Optime doctorum, doctissime salve bonorum.
Salve instaurator Latiae, revocator Achivae
Pallados; ipsa tuis titulis Evandria mater
Cesserit, Arcadio vates afflata Lyceo.
Illa bis octonas Latio intulit hospita formas,
Quas quondam Tyrius Grajis monstraverat exul;
Tu quicquid veterum dederat solertia patrum,
Reddis, et in lucem longa e caligine promis.
Qui nisi prostratas relevasses funditus artes,
Priscorum vanus staret labor. alta Quirinus
Fundavit Romae, reparavit regna Camillus;
Sed tantum ambobus major tua gloria, quantum
Cedunt arma togae, concedit laurea lingvae.

Nec quenquam proferre poteſt ſpatioſa vetuſtas,
Qui plus praeſtiterit populis. Tirynthius heros
Peſtiferis terras purgabat et aequora monſtris,
Ille et nigrantis cuſtodem Cerberon Orci,
Tergemina totidem religatum colla catena,
Oſtendit vivis, et ſidera ferre coëgit.
Per te Barbaries, qua nullum Tartara monſtrum
Tetrius ima ferunt, ſupera de ſede fugatur
Eminus, et Stygias iterum gemit acta ſub umbras.
Immenſus nil Sole gerit praeſtantius orbis.
Sol Iovis eſt oculus, mens mundi, *lucis origo*,
Rerum temperies, cor coeli, ſpiritus aethrae,
Aſtrorum dominus, menſor revolubilis aevi,
Senſilium ſenſus, viventum vita, propago
Naſcentum, largitor opum, largitor honorum,
Telluris pariter conjux foecundus et undae,
Fatorum rector, Deus idem ſummus et omnes.
Phryx licet Attinem, Phoenix hunc dicat Adonin,

Hinc

Vulg. v. 927. omnis.

Hinc Perfis Mithran, Pharos inde Serapin adoret,
Pana colat Tegeë, Memphis deploret Ofirin;
Verum Paeonia quamvis levet arte dolores,
Quamvis ille fuis illuminet omnia flammis;
Saepe tamen trifti feralia tela finiftra
Iactat, et obtenta radios abfcondit in umbra.
Saepius hiberno declivis frigore torpet,
Semper et obfcurae jusfus decedere Nocti,
Invidet alternam fuperis fulgere fororem.
At tua lux animos, non fegnia corpora luftrat.
Nec fcit defectum, nec tempore langvet in ullo,
Noctibus et rofcis fimul irreftincta diebus,
Curat et asfidue, quos fert infcitia morbos.
Haud igitur fine mente quidem, fine numine Divûm
Crediderim talem te noftra in fecula natum.
Nam tua Lucinae cum jam pia vota potenti
Conciperet genitrix, et plenis menfibus infans
Vifcera maturo premeres genitalia partu;
Orbe procul medio, qua Pegafis ungula facras
Fodit aquas, geminis et cornibus aethera rumpit

Den-

Deucalioneis Parnaſus inobrutus undis,
Moeſtior ad moeſtas Clio ſic orſa ſorores:
Cum bene, germanae, variantia ſupputo mecum
Tempora; vicinus cineri nimis esſe ſupremo
Mundus, et a ferro jam degenerare videtur.
Nam licet in chalybem defluxerit aurea quondam
Vita patrum; tamen egregios vel pace vel armis,
Omnibus in terris late generabat alumnos.
Haudquaquam nunc vis eadem mortalibus aegris;
Improcera ferunt hebetes ſed corpora ſenſus,
Nec longum numeri fatalis vincula durant.
Interea pravi mores, perverſa voluntas
Segnibus ingeniis; et in actus prona nefandos
Spernit turba Deos, ac vana tonitrua ridet,
Nec putat ad Siculos ſudare Pyracmona folles.
Sed non ulla magis, quam nos, deſpecta per orbem
Numina; multus adhuc Cererem veneratur arator
Multus adhuc ſpoliis bellator Martia ditat
Templa; nec artifici deſunt ſua dona Minervae.
Fulmineos dentes, ramoſave cornua cernas

Poſtibus in Triviae. Neptuno litore in omni
Votivae pendent tabulae. Tibi mater Amoris,
Centum vel ſola fumant altaria Cypro.
At nobis jam nullus honos; communia nusquam
Herculeis delubra focis, ſecretave ſaltem
Silvarum; et rigui, per amoena ſuburbia, fontes.
Hos pridem in ſaltus, toto velut orbe fugatae,
Cesſimus; hinc etiam pellit nos barbarus hoſtis,
Ignotos poſtquam Phryxea per aequora Turcos
Fraterna Eoï traxit diſcordia regni.
Heu pietas! heu priſca fides! nunquamne reſurget
Clara ſub obſcuris facundia merſa tenebris?
Nunquamne ingenuae remeabunt amplius artes?
Quid viles nobis, genitor, pro nectare lymphas,
Quid coeli pro luce dabas horrentia Tempe?
Quas modo ſacrilegus tentet violare Pyreneus,
Nunc inhonora vocent raucae in certamina picae.
Iam tandem emeritis requiem, juſtiſſime Divûm,

Ac

Vulg. v. 974. peramoena - fontis.

Ac pacem largire poli. Quo dignior aſtris
Erigone? et nitidi bis ſeptem lumina tauri?
Sin minus, immitis patrui regna atra petemus,
Qua ſoror infernos ſervat Proſerpina lucos,
Inter et Elyſias veterum ſpatiabimur umbras
Cultorum exſangves, ſine voce et corpore vultus,
Nulla adeo in vivis ſi jam ſolatia reſtant.
Talia dum queritur, procul asſpicit Arcada fratrem,
Caerula praepetibus ſcindentem nubila plantis.
Ille ut Cirrhaeo paullifper colle reſedit,
Caſtalios latices inviſit et antra Dearum.
Non illis citharae, non ſerta vireutia cordi,
Plectra ſilent, disjecta ſolo crinalia marcent.
Ergo ubi ſive ultro (nam quid non ſentiat Hermes?)
Agnovit cauſas, ſeu forte docentibus ipſis;
Cognatum tali ſolatur voce dolorem:
Solvite triſtitiam, luctus removete, ſorores,
Gaudia certa fero. Nam cum modo forte recentes
A buſtis animas, pallentem duco ſub Orcum,
Aſt alias iterum poſt luſtra ducenta reduco

Ad ſuperos, et bina frequens per limina curro,
Vidi exultantes gemina de gente diſertos
Tot veterum manes; quod jam meliora redirent
Tempora, cum ſtudiis florerent omnia priſcis,
Vidi ſecreto, vaſta in convalle, receſſu,
Cum Genio et Vita Parcas, et Morte ſedentes.
E quibus una retoflexa cervice ſilebat,
Altera perſpicuum ſpeculi intendebat in orbem,
Tertia proſpectu luſtrabat inane barathrum.
Ducere cum ſubito varias coepere choreas,
Atropos in zephyrum veſtigia movit ab euro,
Simpliciore gradu; cui protinus obvia Clotho,
Multiplici torſit ſeptena volumina gyro,
Ambabus ſimiles Lacheſis dedit ultima geſtus.
Tunc has divino ſanxerunt carmine ſortes,
Candida inauratis volventes licia fuſis:
Quanta fuit, magnus Romam dum Auguſtus habebat,
Tanta per Europam doctorum turba redundet.
Tu vero Oenotriis puer olim debite terris,
Naſcere, tantorum princeps et cauſa bonorum.

Per te facundas, jamdudum muta, loquelas
Ora dabunt hominum; tu vitae mortua reddes
Nomina; tu nati revocabis ad oſcula matrem.
Naſcere. ſic rerum leges, ſic Iupiter urget.
Haec cecinere Deae. voces Natura Dearum
Ferreis in tabulis adamante notavit acuto.
Nonne vides eadem totus portendat ut aether,
Uraniae numeris ſibi reſpondentia fauſtis?
Quam bene fatorum concordant ſidera penſis!
Quare age, deterſo moeroris ſurgite laetos
Squalore ad thyaſos; juvet in paeana canorum
Contentas rupisſe fides. Tibi tibia fletur
Euterpe, et biforis Tritonia fiſtula buxi.
Argutos digitis, Erato tu, percute nervos.
Tu grave Melpomene, tu molle, Thalia, ſonato.
Omnia Calliope concentu temperet uno.
Nunc et Pirene, nunc et Libethrides undae
Ambroſia ſcateant; lactis Permeſſia rivos
Ripa det, Aoniae revireſcant largius umbrae.
Quodſi, quae tanto decoretur germine tellus,

Noſſe ferunt animi; non longa ambage docebo:
Urbs eſt Vindelicas qua plana asſurgit in Alpes
Italia, et patulos Atheſis vagus exit in agros,
Verona, auctorem referens cognomine Brennum.
Dividit hanc fluvius, ſed ruptum ponte quaterno
Continuatur iter; medio ſublime theatrum
Eminet, et longe templorum culmina vincit.
Inde olim veſtrum ſcitis prodisſe Catullum,
Plinius inde ſatus; ſed nunc venit altior illi
Gloria; Scaligeris nec ſe jactaverit aeque
Regibus, et magni Canis armipotentibus actis.
Illic jam toti reboant genialia montes
Carmina; jam glauca praevelat arundine crinem
Mincius, et vitreo geſtit Benacus in antro.
Dum modo laxatae ſuſum de ventre parentis,
Ipſa liquore ſacro fovet Ilithyja Guarinum.
Faſciola ligat ipſa manus et crura nitenti.
Audio Maenalia ſalientes Pana cicuta,

Hor-

Alii v. 1058. genitalia.

Hortantem Satyros; plenis et flore caniſtris,
Ludentes video circum cunabula Nymphas.
Vos mora lenta tenet, nunc o nunc ite citatis
Greſſibus, et cupidis ereptum auferte Napaeis.
Velate aërio nimbi rutilantis amictu.
Quis Charitum gremiis, veſtro quis dignior infans
Ubere? Hyanteos jam nunc ſine reptet ad amnes
Parvulus, et Phoebo velit advagire canenti.
Sic ait, et dictis parent Heliconides ultro.

IANI PANNONII

(II.) *Panegyricus, ad Iacobum Antonium Marcellum Venetum.*

PRAEFATIO.

Cantantem umbroſo pueris Silenon in antro,
Ruſtica dum Veneti vatis avena ſonat;
Ingenium quid, ait, tractando vilia, perdis?
Maecenas Tuſco ſtemmate clarus eques.

Quam-

Quamve tibi famam Meliboei flebile carmen
Afferet? infelix aut Corydonis amor?
Pastorumve bonus lites sedare Palaemon?
Vel modo qui nato riserat ore puer?
Illatusve polo, residensve sub ilice Daphnis?
Vel quorum lynces obstupuere modis?
Anxius aut Moeris? flagransve cupidine Gallus?
Iam tibi, ut haec ludis, quarta recurrit hyems.
An te Musa ideo forsan delectat agrestis,
Reddidit ereptos quod tibi Caesar agros?
Caesar agris majora dabit, si praelia dicas
Actia; pro calamis sume poëta tubam.
Duc age Dardanias, Lavina ad litora, classes,
Sacra Dionaei concine bella ducis.
Albana et laeto fundantem moenia Iulum
Omine; quo manat Iulia fonte domus.
Finierat monitus. placuit sententia vati,
Paruit, et silvis praetulit Arma virum.
Nunc ego si divi sequar alta exempla Maronis,
Temporibus nostris quis mihi Caesar erit?

Nempe togatorum generosus stirpe Quiritum
Marcellus, Venetae firma columna rei.
Seu facta inspicio; factis non clarior alter;
Seu merita; officiis haud prior ullus adest.
Ille meis primum Musis impendit honorem,
Non qualem ficto quilibet ore solet.
Ille brevem fecit late discurrere famam,
Illius hospitiis nostra refecta fames.
Hunc igitur patri jungent mea plectra Guarino,
Dignus et ille suo, dignus et iste, loco.
Iure fuit primus, tribuit qui carmina nobis,
Qui favit studiis, jure secundus erit.
At vos, Cecropia propter quos arce relicta,
Maluit Euganea Pallas in urbe coli;
Tam triplicis Sophiae, gemini quam Iuris alumni,
Este, precor, nostris, turba benigna, sonis.
Nuper laeta meae plausit Ferraria cannae,
Auribus en vestris nunc graviora damus.
Quorum non meruit si barbara Musa favores,

Ia-

Vulg. v. 43. lavorem.

Is meruit, grata quem crepat illa lyra.
Hic nam Marcello foecundi praedia ruris,
Hic Lare natali plus habitata domus.
Hinc dulcis nurus, et longe dulcisſima conjux,
Haec materna ſuis patria pignoribus,
Non minus ut Veneto posſit Patavinus haberi,
Tot vobis illum, vos ſibi vincla ligant.
Ergo huic praeſtetur, nobis quod forte negatur,
Materia incomtum ſaepe tuetur opus.

Vulg. v. 48. Hic.

PANEGYRIS.

Solus populea projectus nuper in umbra,
Eridani ad ripas, argutos inter olores,
Pierios tacito meditabar pectore rhythmos;
Cum ſubito asſiſtens, poſita ſic aegide, Pallas:
Quod tibi Theſpiadum, Iuvenis, pia cura, ſororum

In numeros aptatur opus? quos nectere tentas
Metrorum sub jura pedes? iterumne Guarini
Ludere vis ludum? vel te pastoria forsan
Has inter potius delectant sibila silvàs?
Lascivive placent Elegi, aut jurgator Iāmbus?
An tardus Scazon? veterisve undena Phalaeci
Syllaba, dulce jocis spargens epigramma facetis?
Desere jam tandem pueriles desere lusus,
Ac, si fama tibi, viridis si laurea cordi,
Magna ordire animis. Inopi quid stringere terras
Lintre juvat? medio da grandia vela profundo.
Illa paludosis procul errans cymba lacunis
Pene vacat; pretiosa vehit miracula pinus,
Quae lato venit ecce mari. cum laeta coronis
Attigerit portus, et arenas dente trisulco
Fixerit, o quanto resonabunt litora plausu!

Ingenio vires et vatibus addere nomen
Materies excelsa potest. Licet ipse vetustos
Contemplere patres; nullus nisi nobile demum
Quod caneret, selegit opus. praeclara sonantur

Ube-

Uberius; nequeunt ſplendeſcere vilia rerum,
Aut aegre perculta, negant tamen edere fructus,
Quos petitis ſacri, gens ambitioſa, poëtae.
Carmine Trojano, non Ranis vivit Homerus.
Nec rudibus Silvis, Thebis et Achille perennes
Statius emeruit titulos. aeterna Maronis
Gloria, non Culicis nugae, fera praelia Turni.
Tu ſimul ut ſublatus humo per multa virorum
Ora voles, levibus ne jam amplius inſtrepe chordis,
Nec calamos, plenis ſed claſsica faucibus infla.
Ire nec in ſenium, canive evolvere retro
Te ſecli monimenta velim; qui priſca retexit,
Acta agit, et medio praefert Hyperione lychnum.
Quis Trojam et Thebas, Lacedaemona neſcit et Argos?
Perſea vel coelo nantem, vel Iäſona ponto?
Qua non in ſcena malus inſanivit Oreſtes?
Coenavit Tereus? erravit Agenore natus?
Pulpita Tantaleis cui non detrita cothurnis?

Quis

Vulg. v. 34. non amplius inſtrepe.

Quis non Herculeo ſuſpendit ſidera collo?
Theſea quis tacuit? quo non memorante volavit
Axe Pelops, planta Hippomenes, et Daedalus alis?
Adde quod ingrati ſubeas et crimen iniqui,
Si vetera amplexus damnes praeſentia, et una
Invideas vivis titulos, exempla futuris,
Haud aliter dignus venia, quam tempora clarum
Si tua nil habeant; ſed quae reſplenduit aetas
Vel bello vel pace magis? Revocâſſet in aurum
Iupiter, et toto purgaſſet ſecula ferro,
Ipſa ego Saturni ſi non exoſa veternum,
Ingeniis hominum penitus rubigine terſa,
Limaſſem ſegnes animos, et tempore longo,
Pigra per artifices acuiſſem pectora curas.
Hinc tot caſtra ducum, tot noſtras cernis Athenas;
Nunc nova proferri, nunc antiquata novari.
Pellaei ut regis poſſint, vel Caeſaris aevo
Iam veſtri certare dies; ſic cultibus aequis
Vita nitet, mentes ſic excitat aemula virtus.
Quid tibi nunc artes recitem, mea dona, magiſtras?

Seu fabricanda ratis veniat, ſeu machina belli,
Centum Argos, totidem reperire licebit Epeos.
Hippolytus rapiatur equis; Chironis alumnum
Inveniet Phoebe. placeant ſimulacra Tonanti;
Phidiaca inſignis jam majeſtate nitebit.
Tota velit pingi Paphie; procedet Apelles.
Si Tyrus et Sidon, ſi concidit alta Corinthus,
Aera tamen ſpirant, nec purpura ſegnius ardet.
Asſpice per terras, pulſantes aethera moles;
Cedit Creſſa domus, Babylonis moenia cedunt,
Quod Salomon templum, peltata aut ſtruxit Amazon,
Pyramides, junctis et Mauſolea Colosſis.
Asſpice ſulcantes Neptunia caerula clasſes,
Turrigeras arces, aut Cycladas ire profundo
Credideris; tanto malus ſtat vertice, tantus
Remorum numerus, tantum ſe carbaſa pandunt.
Nobiliora vocant; quae mecum Phoebus et Arcas,
Curat, et Aoniae, coeleſtia plectra, ſorores.
Nam qui tot videre Linos, tot Arionas anni?
Quando Caſtalias carpſere tot agmina lauros?

Ip-

Ipsae tantorum siccatae in pocula vatum,
Pegasides tenui manant jam gurgite lymphae.
Nec desunt, cultis quos illi versibus ornent
(Hoc modo praecipue studium revirescere coepit.)
Martia turba, duces, et gaudens sangvine miles.
Ferrum celat equos, ferrum fessoribus ipsis
Est tegimen, ferrum totos sarcitur in artus.
Nonne vides, veterum renovato ut more Quiritum,
Iam vallum fossa metator, et aggere cingat?
Excubiis simul et stationibus omnia servet?
Ut paribus quadret legio distincta maniplis?
Excurrant alae? solidentur robore frontes?
Cornua promineant? secedat inutile vulgus?
Ultima subsidiis, firmentur terga, repostis?
Eminus et primum telis, mox cominus acri
Pugnetur gladio? Murum si frangere tempus,
Non aries, non testudo, non vinea solum
Vecta rotis, aut turris adest; ignota vetustis,

Nec

Vulg. v. 87. et 88. hoc ordine: Martia. Hoc modo.

Nec nisi de coeli nebulis consveta timeri,
Saxea de caveis prorumpunt fulmina ahenis.
Quare age, cum pleno sese tibi Copia cornu
Offerat, et tantis aliquid desume canendum.
Neve tua aequaevis desit facundia rebus.
Sed quamvis trifidus florescat gentibus orbis,
Urbibus et gentes vigeant, et civibus urbes,
Nulla tamen regio est quam tu componere possis
Felici Italiae, seu glebae fertilis uber,
Seu fortem mirere situm, seu farta beatis
Oppida divitiis, seu splendida jura virorum.
Hesperias vero longe supereminet urbes
Haec, quam non muris clausam, sed Syrte vadosa,
Intimus extremo circumtonat Hadria fluctu.
Conditor huic nemo; terrarum cladibus ortum
Debet, et est ingens alienis facta ruinis.
Nil reliquis commune gerens; fundamina tectis
Non sicco stant fixa solo; sed desuper altas

Vec-

Vulg. v. 111. facta.

Vectūrus moles ſubter freta texitur agger.
Haud mora, qua vituli nuper jacuere marini,
Qua modo delphines volucri luſere natatu,
Inſula ſe tollit, veluti Latonia Delos,
Diſpulſis ſubito celſum caput extulit undis.
Nec quia de multis corpus concrevit in unum,
Disſidet ipſa ſibi; nulli concordia major,
Nec tam longa quies; nec par reverentia legum.
Non famulam plebem dominatrix durius urget,
Nobilitas; non plebs regni conſortia raptans,
Patribus inſultat, placidi quam docta ſequeſtri
Fabula conciliet, vel ademtus faſcibus horror.
Hinc ſua millenos indelibata per annos
Succubuit nullis Libertas virgo tyrannis.
Hinc miti ditione tenet, quod Creta recedit
Alpibus, Haemonio quod diſtat Larius Hebro.
Hinc ſuper Oceanum, ſuper et mare cognita rubrum,
Suſcipit et reddit toto commercia mundo.
  Hujus Patricias tantum Marcella propago
Exuperat ſtirpes, quanto diſcrimine praeſtat

Sideribus Titan, Dis Iupiter, amnibus aequor.
Maurocena licet numero ſit laeta ſuorum,
Contarena potens opibus ſe jactet opimis,
Alta Triviſanam juris doctrina decoret,
Foſcara conſiliis, cultu Iuſtina loquendi
Fulgeat; aeternae tulerint praeconia famae
Piſana aequoreis, et Lauretana tropaeis.
Verum quae reliquas partitis ſingula luſtrant
Dotibus, huic uno pariter cumulantur acervo,
Sed nec Marcella de gente illuſtrior ullus,
Quam claris Iacobus adeſt Antonius actis,
Plenam virtutum complexus pectore ſummam.
Cui ſi Romulldum ſtudeas opponere laudes,
Non erit integrior Curius, conſtantior illo
Maximus, Idaei melior nec numinis hoſpes.
Regulus aut fidei, Cato vel ſervantior aequi,
Sin Grajos aequare pares; conceſſerit uni
Miltiades animis, Cimon pietate, Pericles
Conſiliis, probitate Solon, gravitate Lycurgus.
Celſa Ducis facies, et honorae gratia formae,

Afflarat Phrygio qualem nec Cypria nato,
Pridem nota tibi, dum vatem magnus egenum
Hofpitio toties Heros fovet, ac vice jufta,
Excipiunt humilem Tirynthia regna Molorchum.
Quin etfi nunquam vifus tibi forte fuisfet,
Obvius in media poterat notefcere turba,
Tantus in ore decor, tanto fuper agmina furgit
Vertice, tam pasfim digito monftratur ab omni
Augufta effigies; multum cui ponderis addit
Canities, nigro parce intermifta capillo.
Quodfi *facta viri*, *cunctos* celeberrima quanquam
Per populos, nondum locuples tibi prodidit auctor,
Humanis fi certa magis rumoribus optas;
Accipe veraci veram dictante Minerva
Hiftoriam, coelo dubita neu credere tefti.
Sed calamum niveis jam nunc memor imprime chartis.
Hunc ego materno rapui nam fedula parvum
De gremio; calida mox accedente juventa,
In bivio vitae dubium, vitare finiftros
Commonui anfractus; aditu qua fubdola blando

Ridet, et incautos praeceps via mergit ephebos.
Paruit, et dextro fuper ardua calle tetendit
Me praeeunte fequens, nec terruit afper euntem
Limes, et angufti fcrupofa exordia rami.
Ex illo quos non fubiit, me tefte, labores?
Quis fefe expediit non, me auxiliante, periclis?
Hoftili quoties fesfum jam ftrage, refeci
Viribus occultis? quoties tela inter et enfes
Texi, et Gorgoneos praetendi impune ceraftas?
Dilectus nec me talem fibi fenfit Vlixes,
Per mare, per terras, luftris mea cura quaternis.
Bina expertus et hic elementa, fed ordine verfo,
Nec fimili ftudio. Tellus praeftruxit Vlixen
Fluctibus; aeratis durata hic brachia tonfis
Contulit ad frenos, et equo poft tranftra refedit.
Quid? quod jactari ventis, huic lufus, at illi
Poena fuit; quid? quod caftra ille coactus adivit,
Hic et inaccitus, nedum indeprenfus ab ullo.

Tam-

Vulg. v. 197. deprenfus.

Tam melior terra, quam fortunatior undis
Neritio, et plus quam Smyrnaeo carmine dignus.
Tempus erat, roſeas, tenero cum vellere, malas
Veſtit, et oblectat trepidos lanugo parentes;
Nocte una ſtratis, ſecum haec Marcellus, in altis,
Suſpiciens patula, mediam te Luna, feneſtra:
Mene ultra in patriis torpere penatibus, inquit,
Neſcio quos apices diſcentem et femina vocum?
Nec mores hominum potius cognoſcere et urbes?
Virtutem et, toto latitantem quaerere mundo?
Iam certe poſitis, amicit me purpura, bullis.
Iam ſparſae periere nuces; minor eruta Pyrrhus
Pergama diripuit, protexit Scipio patrem.
Nec me major erat, meruit cum nomina Magni
Pompejus, nec cum Macedon irrupit in orbem
Ultima thyrſigeri calcans veſtigia Bacchi.
Aſt ego deſidia quales, heu! perdo lacertos,

Quam

Vulg v. 199. Naritio. v. 208. forte pro *amicis me*, leg. ceſſit mihi. Vel pro *me* leg. nec.

Quam belle opperior ſenium, moriturus et ipſis
Laudibus! et quisquam Romano ſangvine cretum
Praedicat? aut ſpoliis haeredem adſcribit opimis?
Forſitan et quiddam promittant ſomnia magnum,
Haud ſpernenda nimis; ſiquidem ab Iove noctis imago.
Nam modo per pontum gemino Tritone videbar
Geſtari, et leves conchis avellere gemmas.
Cum ſubito ad patrias converſo lumine ſedes,
Aurea proſpicio divi faſtigia Marci
Nutare, ingentem jamjam tractura ruinam.
Accurri, et certo confeſtim a Numine jusſus,
(Hoc ego Numen eram,) titubantia tecta levavi
Suppoſitis nitens humeris; ſtetit ardua turris
Firmius, et mediam ſublimior impulit aethram.
Abrupere meos, ſpectantum gaudia, ſomnos.
Surgamus, nec vana Deûm portenta ſequamur.
His dictis, rapto propere coopertus amictu,
Templa puer primo contermina viſit Eoo,

Mul-

Vulg. v. 218. promittunt. v. 219. animis.

Multa putans animis, et cum prece fuſus ad aras.
Facta ubi vota Deis, nactus Nabataea petentem
Litora forte ratem, trabibus ſe condidit altis,
Nec prius eſt celeri perceptus abisſe carina,
Quam poma Alcinoi felicia legit in hortis,
Laeva dein curvae praevectus ſaxa Maleae,
Plena Cydoneo ſubducit lintea portu.
Hic quamvis aevi cupidus monumenta vetuſti
Noſcere; quo Minos ſit conſiliatus in antro,
Quas parvo latebras asſignet fama Tonanti,
Quae fudit Titanas humus; quibus improbus umbris
Paſiphaës erravit amor; qua turre volarit
Icarus, ignoto poſiturus nomina ponto.
Daedalei ſuperent veſtigia ſi qua laboris;
Non tamen ille horum quicquam perquirere curat,
Quam prius ad tumulum ſupplex procumbit avitum.
Quippe ibi Marcelli Pario ſub marmore Petri
Osſa jacent; magni quae Numinis inſtar adorat

In-

Vulg. v. 239. ſubduxit.

Insula, mentitum Iovis haud venerata sepulcrum.
Iure quidem; nam tura Petro debentur et arae,
Qui pelago pacem, patriae qui nobile foedus
Restituit; Venetis quondam sua regna carinis
Barbara Lagei praecluserat ira tyranni.
Plurimus unde urbi quaestus, quo tota fovetur
Europa, et gelidas Oriens transmigrat ad Arctos.*
Obsidionis erat facies, sic nulla volabant,
Ut prius, in lato Marci vexilla profundo.
Mittitur e tantis unus, qui rupta queratur
Conventa, et placidis immisceat aspera verbis.
Ut patuit Babylon; tumidus fera corda Sesostris
Ponit, et innumero legatum munere placat.
Panchaeas cumulans messes, et dentibus albis
Nigrantem asstipans Hebenum, ac solidantia plagas
Balsama, Erythraeis quicquid celatur arenis,
Quicquid lanigera Ser pectit ab arbore, quicquid
Indica odoratis decussit simia ramis.
Adjicit et cineres Hyperionis aede petitos,
Quos centum post lustra Deo dicat advena Phoenix.

Nec

Nec mirere, viro quod tantum humana poteſtas
Praeſtiterit. Nitido venientem forte ſub ortu,
Ipſe ſalutavit, quo matrem murmure, Memnon.
Solverat os; tacitis ſtupuere Aegyptia ſiſtris
Orgia, et amiſſum Memphis non planxit Oſirin.
Nec cataractarum ſanti obſtrepuere fragores.
Finierat; miti ſua dicta probavit Anubis
Latratu, et blandis mugitibus annuit Apis.
Ergo diu vacuis iterum ſecura pateſcunt
Aequora Marcicolis, et litore tutus Eoo,
Italus Arrabios mutat mercator odores.
Ut cum forte ferox ſortem indignatus iniquam,
Ipſe ſuis Pluton furiis ardeſcit et altos,
Oppugnare parat, calcato foedere fratres,
Vincula terrigenûm laxans centena Gigantum;
Pacifico tum ſi Caducifer ab Iove miſſus,
Fatorum alleget leges adamante notatas;
Ille Dei ſvaſu rabidas moderatior iras
Mitiget, et nigri ſolvat ſe concio belli;
Haud ſecus eloquio Petri compoſta quievit

Tem-

Tempeſtas. Reduci plauſiſſent quanta ſuorum
Gaudia? quas illi penſaſſet patria grates?
Invida ſed medios abſcidit Creta recurſus.
Marcellus meritos ut avo perſolvit honores,
Intrat et ipſe Pharon, laetis qua magnus opimat
Nilus aquis coelo ſpectabile Delta ſereno.
Incedit roſeae, niveo candore, juventae
Gentibus exuſtis mirandus; et hoſpite pulchro,
Plus quam ſole ſuo fuſcae Mareotides ardent.
Ille nihil. tantum gentilia monſtra colentes
Irridet populos; aut cum ſe rettulit amnis,
Surgere ſemianimes ſtupet in nova corpora glebas,
Feſtinamve notat Caſio de vertice lucem.
Aut Menelaëi veſtigat buſta Canopi,
Conſulit aut nullis aſtrictum Protea vinclis.
Verterat annus iter; Berytos et alta Damaſcus
Viſuntur, ſacris Libanus qua cedrifer umbris
Horret, et extinctum plorat Cythereïs Adonin.
Hunc Phoenices habent tractum, qui ſidera primi
Spectarunt, primi vocum pinxere figuras.

Pri-

Primi puniceo ſucarunt vellera luto,
Molle ubi Sidoniis latus acclinavit in herbis,
Taurus, Agenoreos procul avecturus amores.
Annua ut hinc etiam juvenem Cynoſura revexit,
Non freta jam breviora juvant; offendere crebros
Poenitet in ſcopulos, et tam prope cernere terras.
Nec putat esſe Thetin, quod litore clauditur ullo.
Proinde animis majora parat; libet ire vel aſtris
Longius, ac totum poſt terga relinquere mundum.
Alter et Oceani lateat ſi in fluctibus orbis
Scrutari, extremas intra nec ſiſtere Gades.
Gratus et iſte labor, quanquam inclementior ortu
Occaſus; non hic Syriae Meroëſve calentis
Deliciae; ſed Scylla vorax et avara Charybdis,
Sed ferus immiti pejor Laeſtrygone Cyclops,
Sed plena inſidiis et ſemper amara voluptas,
Quicquid et in noſtrum non finxit Homerus Vlixen.
Marcellum nec dura tamen fregere, nec ullae
Cepere illecebrae. Blandam Sirena reliquit
Nec malo affixus, nec ceris oblitus aures.

Pocula vitavit Circes, nec Moly ferebat.
Loto paſtus erat; rediit memor; Ipſa facultas
Sordebat juveni diſcrimina ſemper amanti.
Carpſerat Heſperia fulvos ex arbore foetus
Triſtis, et indignans quod inasſervata pateret
Praeda ſibi, et ſalvum mallet vigilare draconem.
Incuſtoditum campis errabat Hiberis
Armentum; raperem ſi non impune liceret,
Inquit, et obſtaret triplici trux corpore paſtor.
Quodſi quem laudum ſitis, et fiducia dextrae
Extulerat contra; tunc laeto in praelia vultu
Ibat ovans; ceſſere armis, ceſſere palaeſtra,
Audaces in cuncta viri. Non Baeticus haſtam
Incola; non aeque torſit venabula Maurus.
Saxum ingens olim nec tu, Polypheme, rotaſti
Tam procul; Antaeum rurſus ſi fata dedisſent,
Gaetulum primo vicisſet Marte Gigantem,
Nec tangi vetuisſet humum. Bonus omnia, verum
Haud unquam melior, quam cum levis enſe micabat
Diſtricto; In tenui pendebant aëre plantae,

Nec tener ulla pedum veſtigia pulvis habebat.
Splendidus at rapidis agitatus mucro lacertis,
Mucro, ſolius fulgore notabilis umbrae,
Non ſcuto, aut oculis poterat, non arte caveri;
Vix etiam ferro; ferrum tetigiſſe putares,
In facie jam vulnus erat. Sic vibrat aheno
Lumen aquae; ſic cum properat vaga fulmina Brontes,
Scintillae abſiliunt; ſic rupta tonantibus Euris,
Rima per attritos diffulgurat ignea nimbos.
Sed peragamus iter. jam Sardo et proxima Cyrnos,
Iam minor ac major Balearis, et angvibus atris
Terra nocens; nec non Ebuſi pineta virentis,
Vanuerant; Libyae propior jam Europa coïbat.
Apparet ſurgens trans nubes eminus Atlas,
Opportuna quies volventi ſecula coelo.
Proſpicit hic ſtellas, aliam conſidere collo,
Iam ſenis, aſt illam, reparato robore, pronas
Continuare vias; hanc ſumma ad culmina anhelos
Nunc primum alipedes crepitanti urgere flagello.
Apparent celſae diverſa e parte columnae,

Montibus excisae geminis, sive Herculis illud,
Naturae seu matris opus; quis crederet unquam
Tam modico tantos immittier ore liquores?
Nerea quis cursu fluvios superare rapaci?
Hic ubi in adverso remos luctamine frangi
Conspiciunt comites; frustra turgentia retro
Flectere vela rogant; animos sed Noster inertes
Increpat, et pulso, clavum citus ipse, magistro,
Corripit, ac medios secat irrevocabilis aestus.
Transierat rerum metas, et aperta ruebat
Immensi jam terga maris. Quid nunc tibi diras
Terrorum species, quid monstra immania fando
Persequar, aequoribus non unquam cognita vestris?
Nam Tuscum et Superum; Dictaea et Cypria Doris,
Iönium et Syrtes, nec non Euxinus et Aegon,
Quae tandem miranda ferunt? Quod Nautilus illic
Velificat; spargit piceos quod Sepia succos,
Quod Torpedo suum, mittit per lina, venenum,
Piscantis vinctura manus; affixa carinis
Parva quod ingentes Echeneis detinet alnos;

Quod glutit Vulpes, Scolopendra quod evomit hamum,
Transfigit quod cuncta Trygon; quod Stella perurit,
Verſicolor Polypus conchas quod fallit hiantes,
Quod ſparſis mordax foliis Urtica vagatur,
Spongia quod tetros effundit ſecta cruores,
Quod Loligo volat; depaſtas ruminat algas
Quod Scarus; in ſiccis cubat Exocoetus arenis?
Iunge relucentes tranquillis ſaepe Lucernas
Noctibus, et facilem jura ad ſocialia Pinnam.
Iunge exertantes turbato cornua Ranas
Limo, et praeſagum boreae venientis Echinum.
Iſthmius his ludit per ſtagna Ephyraea Palaemon,
His curas Galatea levat. Marcellus et ipſas
Oceani horrendo colliſas turbine vidit
Nereïdas; vidit quae nec Cepheïas aequet
Bellua, nec miſſus vota ad Theſeïa taurus.
Pars quota porrectae, per bis duo júgera, Priſtes?
Aut formidatae balaenis grandibus Orcae?

Qua-

Alii v. 407. Piſtres.

Qualia foecundus terrarum ambitor in imis
Plurima fert ſpecubus; quin et (mirabile dictu,)
Nunc Rota, nunc ramoſa viros exterruit Arbor,
Cornibus aut Aries, Elephas aut dente petivit.
Nunc homini aſſimilis preſſit maris incola pinum
Inſidens lateri; nunc proluit ore tremendo
Elatus ſupra carcheſia ſumma Phyſeter.
Haud magis iſta tamen curat Marcellia virtus,
Quam juba latrantes circum Maſſyla moloſſos.
Propoſitum nec linquit iter; ſtat tendere prorſus,
Quantum agit aura ratem, quantum patet extima Tethys,
Trans zephyri fines, trans paſcua Solis equorum.
Ille et felices animas viſurus adiſſet,
Qua Fortunatos coeli clementia campos
Temperat, et nullo tellus creat omnia cultu;
Ni ſemel haec ipſum ſedes aeterna maneret,
Poſt vitae mortalis onus. Nam corpore clauſos
Elyſiis miſcere nefas. ea cauſa ſubegit
Dexteriora ſequi; vena qua divite profert
Caſſiteris nitidum plumbi, non una, metallum.

Lu-

Lustrat circuitu, Cantabrica litora, longo,
Lustrat Aquitanos; reflui simul ora Garumnae,
Caesareo donec tentatos Marte Britannos,
Pervenit, et mundi Iuvernam in calce natantem.
Sol duodena citis percurrerat astra quadrigis.
Non illi occiduos satis explorare recessus,
Quaerit et Arctoos; glaciales Orcadas ultra,
Ostia Rheni ultra, gelidae ultra sidera Thyles,
Remigio evectus; bis sex ubi mensibus anni
Una dies, nox una venit; nec jugis amoeno
Vere tepescit hyems. Iam pone nitebat eunti
Parrhasis; oppositum jam declinabat in austrum
Pronus et ille polus; jam zonas, climata, circos,
Aetheris, et totum penitus transcenderat axem.
Procesfurus adhuc, si non concreta rigerent
Aequora Hyperboreis Maeotidos aemula crustis.
Ergo Caledonias sua carbasa rursus ad urbes
Torquet, ibi alterna pensat requiete laborem.

Hu-

Vulg. v. 436. Thules.

Humida nox coelum ſubluſtri obduxerat umbra,
Quam tu nec noctem, ſed longa crepuſcula dicas;
Cum juveni ignaro Franciſci inopina parentis
Offert ſe in ſomnis ac talia fatur imago:
Nate, mihi de tot longe carisſime natis,
Te nunc extremo poſitum ſub cardine mundi,
Asſpectare juvat, quo merſus gurgite Titan
Stridat; et Icarios propius numerare Triones.
At tibi tantiſper multo jacet obruta luctu
Tam felix paulo ante domus, tot dives alumnis.
Nam mihi foecunda dederat de conjuge Phoebus
Sex et viginti diverſae pignora ſortis.
E quibus, ut fruerer media vel parte meorum,
Bis terni juvenes, ſeptem vixere puellae.
Tot generi, tot me inde nurus, cognomine dulci
Dixerunt ſocerum, tot avum fecere nepotes.
Nullus ut e Veneta jam nobilitate ſuperſit
Non Marcellorum mixtus cum ſangvine ſangvis.
Sed reliqui noſtram non deſeruere ſenectam,
Quos genui, et patriae pariter ſubiere labores.

Tu

Tu minimus natu, ſpe maximus, avia ſulcas
Dum vada, ceu pulſus terris ex omnibus exul,
Dum Noton et Borean, Zephyrum rimaris et Eurum,
Immemor o nimium tanto jam tempore noſtri;
Interea geminas rapuit tibi dura ſorores
Atropos, et totidem noſtro de ſemine fratres,
Me ſimul, et crebro duplicavit funere funus,
Permutans atra, genialia ſerta, cupreſſo.
Nec pro me aut hominum quenquam, aut incuſo Deorum.
Exegi longos ſummis in honoribus annos,
Pompa triumphalis facili langvore ſolutum
Extulit, et pietas privatam publica vicit.
Unus tanta tamen preſſit ſolatia moeror,
Compoſuit noſtros, quod non tua dextera, viſus.
Quanta tibi coram dixem, ſi praeſto fuisſes?
Quanta revelasſem venturis congrua rebus?
Quod quoniam haud licuit, per tot procul arva, tot undas,
Umbra levis ſaltem, Iovis huc tibi numine veni.
Iam rigidus condit luſtrum venerabile Cenſor,
Multivago immenſum curſu metiris ut orbem,

Tutus et incolumis, tanquam tibi vincla ligarint
Neptunum, et ventis impleverit Aeolus utres.
Sive tuam movit rerum prudentia mentem,
Nullos non ritus populorum et jura notaſti.
Mox effundendos placuit ſeu cogere cenſus,
Sat tua navali crevere peculia lucro.
Quocirca ſi qua eſt vel nunc tibi cura tuorum,
Si prece defuncti, ſi jusſu tangere patris;
Da reliquum patriae, da caris tempus amicis,
Da conſangvineis, et (cui poſt me omnia debes,)
Quam potes accelera viduatam viſere matrem.
Te ſolum nunc illa cupit, te tota ſuperſtes
Clamat, et haud aliter domus in te nixa recumbit,
Quam nunc me acclinem tu ſuſtentare videris,
Caſurum en ſubito, tua ſi fulcimina deſint.
Iam primum infandis, hanc vexat avunculus Azo
Litibus, et cauſis ſine fine forenſibus urget.
Nec dubium quin tota adimat patrimonia vobis,

Ni

Vulg. v. 500. acclivem.

Ni monitus noſtros memori tu pectore condas.
Stat thalami in dextro ſecretus pariete riſcus,
Scriniolum in riſco nucea compage dolatum,
Mille in ſcriniolo veteris chirographa cerae.
His tibi productis damnabitur actor iniquus.
Conſtitues iſto cum facta domeſtica pacto;
In luxum cave te, maleſvada vel otia ſolvas,
Sed fortes humeros civili ſubjice curae.
Orator mittendus erit; tu curre per Alpes.
Armorum ingruerit ſtrepitus; ſis primus in armis.
Suggeſtum ſvaſor, judex conſcende tribunal,
Nec tibi ſit quicquam patria dilectius ipſa.
Hanc ego praepoſui ſceptris regalibus unam,
Hanc ego theſauris. bis me Roma inclyta cepit
Legatum, et toties referentem optata remiſit,
Ut civem complexa ſuum. Patriarcha regebat
Caeſarei tunc frena Fori, quem ſaepe Senatus,
Nomine de Veneris dictam rogitaverat arcem,
Quo locus haud alter tutandis aptior Hiſtris.
Poſtquam communes fruſtra videt ire precatus,

Me tentare jubet. (Certo mihi foedere vinctus
Ille erat.) accedo. proprium ceu poſtulo munus,
Impetro, non unam, ſed binas inſuper arces,
Collatis et longa fruor per tempora donis.
Poſt hyemes aliquot, patribus ſententia ſedit,
Ne quisquam in terris Venetus caſtella teneret,
Si qua forent intra ſenos haud vendita menſes,
Publica deinde forent; Genuam quippe iſta potentem
Res labefactavit; Piſas ſervire coëgit.
Hoc ubi decretum mentes concusſit avaras,
Quis ſua mox grandi bona non venundedit auro?
Solus ego in fiſcum gratis mea, Nate, redegi,
Tradita ne externis, noſtros aliquando gravarent,
Nec loculos numis, patriam ſed finibus auxi,
Urbica privatis relevans aeraria damnis.
Hinc cognata tibi virtutum exempla petantur;
Haec imitare libens. Vivum ſimul addo magiſtrum.
Eſt germanus, avi priſco tibi nomine, Petrus,
Nunc Antenoreae praeſul caſtisſimus urbis,
Pene modo Romae, dum cogit laeta verendos

In coetum Baſilea patres, et ſancta requirit
Concio, quis ſuperi claves mereatur Olympi.
Hunc tu ſi audieris, nunquam te devius error
Auferet in praeceps, nunquam non recta ſequeris.
Quodſi praecipitem ſubigas tranquillior iram,
Tu Marcellus eris. merces haud parva laborum
(Quam tantum affectas,) veniet tibi ſama perennis,
Illa tamen major, luteo quod carcere liber,
Ingrediere pias, meritorum praemia, valles;
Imperioſus ubi Torquatus, et hirta Camilli
Caeſaries, et qui pacem tibi, Pyrrhe, negavit;
Cum tribus et Deciis pauper Serranus; ubi omnes
Marcelli; inter quos et me viridisſima laurus
Umbrat, et aeternas melior fovet aura per herbas.
Ne nullum me forte putes, neu funera vanis
Noſtra fleas lacrymis, et mecum Numina laedas.
Sed jam, Nate, vale. mediis nam mane tenebris
Imminet, et ſaevae lucem cecinere volucres.
Talia dicentem dum captat inaniter umbram,
Diſcusſus motu periit ſopor. Illico remos

Ex-

Expedit, et medio ſuſpendit lintea malo,
Incertum moerens, et ſpem formidine librans.
Dexter ut a terra navim promovit Iäpyx,
Proſiliunt alacres de fluctibus Oceaninae;
Pars choreis luſtrant et dulcia carmina dicunt,
Pars vario triſtes ſolantur munere curas.
Nec paſſim ramis plorata electra, vel oſtrum
Vile ferunt; aut quae capiti ſubſtrata Meduſae,
Mollia ſaxificum traxere corallia virus,
Sed nullo digne pretio taxanda, nec unquam
Nota prius ſuperis miracula premere certant.
Forte maris domitor Saturnius ipſe redibat
Aethiopum a menſis; tum largo nectare laetus
Siſtit equos, et ſic placido prior ore ſalutat:
O Venetûm matura ſalus, o Romula vere
Progenies; caſus ſi noſcere cura futuros;
Bellum immane tuis, bellum inquam civibus inſtat
Partibus a Ligurum, quo tota Oenotria late
Intremet, et tanto quatientur cuncta tumultu,
Perfidus Auſoniis, quantum intulit Hannibal oris.

Hic

Hic tibi magnarum pandit fe occafio rerum,
Hic tua nobilibus clarefcet dextera factis.
Materiam virtutis habes; fortuna theatrum
Quo fpectere, dedit. facies nec te ulla pericli
Terreat, arma tibi Sicula jam fudat in Aetna
Lemnius, et Phrygio clypeum caelamine format,
Sponte fua, qualem nunquam Tithonia conjux,
Noftra nec obtinuit Nereïs fupplice fletu.
Haec, ubi perftringens Liparen tibi palmula radet,
Offeret ipfe Deus; fed ne coeleftibus armis
Par defit fonipes; en noftrum fufcipe munus.
Currite et ignipedem propius deducite Glaucum
Caerulei aurigae. Viden' ut per frena rubentes
Inficit albenti fpumarum asfpergine gemmas?
Quam bene colla levat? quantos flat naribus ignes?
Nec tibi inexpertum donabimus. huc age dorfum
Scande feri, et ftimulos coftis Melicerta parumper
Imprime, faepe ferox tua verbera fenfit Arion,
Tu delphine meo, celeri vel mugile pendens,
Aërius per vela falis. Fugit ecce fagitta

Ocior, et longe ventos post terga relinquit,
Pendula nec summos libant vestigia rores.
Quin etiam vastum, rapido per inania saltu,
Transabiit scopulum; facili dein jussus habena,
Ter quater exiguum, sua membra rotavit, in orbem.
Hunc tibi largimur, nostro licet ante negatum
Gradivo toties; pro quo mihi saepe dedisset
Castor in aetheriis signatum Cyllaron astris.
Hoc residens, catulos, vitro sine, tigridis Indae
Tu, licet, abripias. hoc te Riphaea volantem
Per juga, Phoebei nequeant comprendere gryphes.
Hoc supra nubes, subter vaga sidera vectum,
Bellerophonteae non urat flamma Chimaerae.
Dixerat, et dederat. Grates, Marcelle, parabas,
Cum genitor versa postremam cuspide puppim,
Impulit, Idalia non segnior illa columba,
Emicat, et Venetis, dicto prius, haesit arenis.
Interea Italiam litui sonuere per omnem.

An-

Vulg. v. 614. tuto audax.

Angviger Inſubrum pollens ditione Philippus,
Cuncta laceſſebat furialibus improbus armis,
Praecipue Venetos. quibus in ſua litora pulſis,
Cetera non aegre Liguri acceſſura colubro
Spes haud vana viro. rapit et privatus in illos
Impetus irarum. torquet modo rapta furentem
Brixia; tum pactis depenſum pacis iniquae
Bergomon, et priſcis Macalodum aequabile Cannis.
Haec ulciſcendi ſtimulis immanibus ardens,
Ductori fido, (Peruſinae hic gloria gentis
Nicoleos Picininus erat,) memorabile bellum
Mandat et innumeras vacuat delectibus urbes.
Nec minor Adriacos tutandi cura Quirites
Exacuit regni. ſocio ſibi foedere patrem
Iungunt Eugenium, nec non te Sforcia proles,
Cui ſervit Picenus ager, conjurat in unum
Arnus, et extremi Genuae diſcordis alumni.
Ut ſuper Olliacas tenui diſcrimine ripas,
Nigri illinc angves, rutili hinc fulſere leones.
Fortior et coepit Peruſinus Marte ſecundo,

Marcicolas urgere duces; ac proxima portas
Clauſit, et excubiis firmavit Brixia muros;
Marcellus, (quamvis nunc primum fune ligato,
Vix patrio data tura Lari, vix rapta ſuorum
Oſcula,) ſolis adhuc radiis niger et maris aura,
Proſilit, et celeri patriae tentoria greſſu
Vel privatus adit; trabeas, vexilla, ſecures,
In tantis longum ratus expectare periclis,
Nec civem laudans, qui non prius iſta mereri,
Quam geſtare velit. Sed nullos curia faſces
Cui dederat, praeſaga ultro mox caſtra dederunt.
Solus et hic, tironis adhuc cum munus obiret,
Praefecti ſuſcepit onus, nec protinus omen
Defuit, et primis, patuit venturus, in orſis.
Eſt lacus, Iſeum perhibent, qua ſe Ollius ingens,
Explicat, anguſtis et rurſum faucibus artat.
Hac invaſurus Venetos erat impiger hoſtis.
Tutatura lacum, Marcello praeſide, claſſis

In-

Vulg. v. 658. arctat.

Instruitur; venit ille ferox, transire laborat,
Bis pulsus refugit; conatu elusus inani
Finitimas late tendit popularier arces.
Sed Marcellus et huc, ratibus legatur omissis,
Protegat ut terras, modo qui defenderat undas.
Continuo antiquis, nova munimenta, ruinis
Adjicit, et fossis vicinas diruit aedes.
Pabula per campos succendit, et aggere rupto,
Mergit inundatos, subitis torrentibus agros.
Rustica ceu steriles, stipula crepitante, novales,
Urere cura *solet*; placidi ceu vertice clivi
Prata rigaturos sulcis deducere rivos.
Hinc Phaëthonteos, Ligur hibernare coactus
Trans latices; facili servata hinc plurima damno
Oppida. Restabat gelidae pars ultima brumae;
Non expectata cum coepit hirundine, pontes
Injectare Pado, Picininus in omnia praeceps.
Festinum hic etiam Marcellus praevenit hostem,
Cogit et a magnis vacuum discedere coeptis.
Haud aliter Fabius, cui primum vincere, pugnam

Detrectare fuit; cupidum confligere Poenum
Cunctando longe Latiis arcebat ab oris,
Nunc fronti oppositus, lateri nunc desuper altis
Collibus insultans, compulsum donec in arctos
Anfractus, densa legionum indagine sepsit,
Iam jam captivum, mira nisi fraude reperta
Nocturni arsissent taurorum in cornibus ignes.
Haec tum Marcello primi praeludia Martis.
Quae gravis ut didicit, fama celebrante, Senatus,
Claro laudatum, sed pleno mille periclis,
Praeficit officio. Locus est, vulgaria majus
Turba Casale vocat. quicquid de jure Cremonae
Eridanum citra protenditur uberis agri,
Accipit hinc leges; Sed pendent tecta vetusto
Quassa situ, et nulli propulsant bella paratus.
Huc Iuvenem paribus, suffragia publica, votis
Conjiciunt. Magicis non tam cito floruit armis
Medeae cantata seges; nec tam cito tracti
Pectine Thebano coïere in moenia montes,
Quam cito Marcellus putres juvenescere muros

Compulit, et variis emuniit omnia telis.
Neu derivatas, fossis proclivibus, undas,
Eliciant actae, per viscera caeca, cavernae,
Grandia transversis innectens robora truncis,
Obruit ante humiles, per subterranea, ripas.
Nondum subsidiis, fuerant quae sponsa, receptis,
Consummarat opus; stellis cum quinta fugatis,
Attulit et lucem simul et Pallantias hostem.
Qui per oloriferum, triginta millibus uno
Transpositis Titane Padum, castella sequenti
Cuncta rapit propiora die; mox inde Casali,
Applicat horrisonas, tormenta rotantia, petras.
Tum virides fossas, trabium qua nulla cavanti
Compago obstiterat, cuneis exhaurit opacis.
Non tamen ante loco potitur, post multa suorum
Funera, Marcellum quam bella suprema cientem,
Alta superfuso, lapidum sepelivit, acervo,
Diruta vix tandem per mille tonitrua turris.
Qualem jam gelidae prensantem cornua lunae
Orum, discussus toto Iove texit Olympus.

Fit fragor, et longa penitus depreſſa ruina
Urbis tecta crepant; ſonitu procul horruit ingens
Larius, et ſummas, refugus tremor impulit Alpes.
Attoniti excidio properant ſe dedere cives.
Ipſum pulverea laterum ſub ſtrage repertum
Attollunt fidi moeſto clamore ſodales,
Semianimem, et mixtos revomentem in ſangvine dentes.
Vix oculis infuſa dies, et pondere vaſto
Fractus, anhelanti ſingultit pectore thorax.
Reſtitui pugnae tamen orat et arma repoſcit,
Ni circumfuſum cogat deſiſtere vulgus,
Tendentem palmas et non ſua vulnera flentem.
Liber abit, tanti ſed preſſus mole doloris,
Saeva catenatus quam ſi inter vincla ſederet.
Quid, Marcelle, gemis? viciſti victus, et amplum,
Iſta levis lucrum veſtro jactura refudit
Imperio. Nam dum circa te bella morantur,
Tuta retro aeſtivas collegit Brixia meſſes.
Scilicet haud aliis venturam tempore tanto
Auxiliis latura famem; nec nobile fidi

Aequatura decus, fato meliore, Sagunti.
An cessisse pudet? Sic cessit prodigus alti
Sangvinis Othryades; sic ausus claudere Medis
Thermopylas; ulti sic regia crimina Bruti.
Mucius et flammis spectatus, Cocles in undis.
Purior adversis virtus nitet; aspera fortes
Ostendunt; nunquam verum felicibus actis
Fama dedit titulum. Si te tua facta remordent,
Dux ea miratur Marias; stupet Itala tellus.
Patria quam laudet, rerum mox summa probabit
Auspiciis permissa tuis. I, vertice recto,
Vultu hilari, magno mitescit foenore Divûm
Ira; semel laesos sors deinde benignior ambit.
Tum vero ingenti Perusinus turbine ductor
Regna petit Venetûm. non Ollia lympha ruentem
Summovet, et centum praetentae finibus arces.
Mittitur angustis iterum succurrere rebus
Marcellus; summi jam fultus culmine juris,
Brixia cum toto pariter cui credita bello.
Tempore ab hoc quantos pro libertate labores

Primus ſuſtulerit; Marci quam ſaepe ruentes
Fulſerit unus opes; ſi promere ſingula pergam,
Ante pater longum componat Cynthius annum.
Plura alias vacui. rerum nunc ſumma ſequamur.
Compulerat Venetas, Cenomana in moenia, turmas
Improba vis Ligurum; nec ſpes erat ulla ſalutis;
Sed ſimul et caſtris certum impendebat et urbi
Mature exitium. Muris vexilla manerent?
Paſcere non poterat tam denſum Brixia vulgus,
Milite, cive ſimul, profugis et plena colonis.
Pugnarent acies? Superabat viribus hoſtis.
Cetera praeſidiis, exiret turba, relictis?
Pervigil hinc Alpes, camporum hinc plana tenebat
Aemulus, et medias Benaci obſtruxerat undas,
Ut via nec trepido curſori tuta pateret,
Nedum tanta ullo posſent evadere furto
Millia. Marcellus tamen atrae noctis in umbra,
Invia per nemorum, per acutis aſpera petris,
Culmina, per multo valles torrente ſonoras,
Per varios hoſtes et tela minantia mortem,

Aligero non vectus equo, non axe draconum,
Nec Tegeaca ferens nexis talaria plantis,
Sed generoſa pia ſuccenſus pectora flamma,
Obſeſſam primum ſolus penetravit in urbem.
Confiteor, potui nebulam praetendere ituro,
Ut Cytherea Phrygi; propria niſi laude careret
His humana dolis virtus ſubnixa Deorum.
Inde ubi communis placuit fuga, rurſus in altos
Proviſurus abit, ſimili diſcrimine, montes,
Cui ponenda jugo, vel cui cuſtodia ponti
Esſet, et inſidiae qua plus a parte cavendae.
Omnibus his, ſparſos per Rhaetica ſaxa tyrannos,
Quorum ducendi fuerant per regna manipli,
Fallere majus erat, ne quid jurata Philippo
Barbaries contra ſtrueret, neu coepta vetaret,
Horum praecipuum, quem nec celare licebat,
Nec vitare usquam; miro ſibi callidus aſtu
Conciliat Paridem; quanta non arte ligarat
Carpathium quondam, proles Phoebeïa vatem.
Tum demum primo reſeratis veſpere portis,

Educit tacitas, Picinino abſente, phalanges,
Nec tam incredibiles unquam metuente receſſus.
Neu fraudis nomen plus, quam virtutis haberet
Tam clarum facinus; caeco Fortuna periclum
Miſcuit effugio. Paridi nam ſubdita poſtquam
Arva, retro liquere viri; fragor horridus aures
Impulit, ac toti fremuere in praelia ſaltus;
Saevior et nunquam rediit de rupibus Echo.
Indigenae duri de ſummis ſaxa rotabant
Collibus, et denſa telorum nube premebant.
Acceſſere imbres, ſubitis et turbida nimbis
Flumina, et aſſiduas inter, jejunia, pugnas.
Altera lux miſeris per tales acta tumultus,
Altera nox; cum ſolus opem, ſolatia ſolus
Tu, Marcelle, dares; tu collaudata foveres
Vulnera, tu grati praeberes pabula victus,
Inguſtata tibi. Vix tandem tertia tutis
Defixit campis ſacros aurora leones,
Quingentis hominum, totidem fortaſſis equorum
Amiſſis; Feſtas juvat inter vina choreas

Flec-

Flectere, vel dulces in ceſpite carpere ſomnos;
Aut exhauſtorum ſeriem garrire malorum.
Marcellum haec inter memori ſic voce canebant,
Populea madidum crinem velante corona:
Sancte parens, tu nos mediis e faucibus Orci
Eripis, et patriam, ſervato milite, ſervas.
Quae tantis laurus, quae civica digna rependi
Evaleat meritis? Non ſi Daphnones Orontis,
Non ſi tota tuos cingat Dodona capillos;
Sit ſatis, et ſacrae ludant per tempora glandes.
Tu Cato, tu Xenophon, Scythica hic per frigora Grajas
Egit reliquias; Illum in fervoribus Aſris,
Dipſas, et innocuo baſiliſcus lumine fugit.
Tot tibi ceſſerunt ſcopuli, tot tela, tot amnes.
Te duce vel Nili ſecretos quaerere fontes,
Te duce Sarmaticas auſim calcare pruinas.
Tu mihi, tu ſemper numen; tibi vota quotannis
Martis ad armiſoni, caſtaeve ad Palladis aras
Rite feram; ſeros et ferre jubebo nepotes.
Huc ades, et noſtris, paullum tua feria, ludis

Solve, propinati neu munera temne Falerni.
Quam tu contigeris pateram, mihi sacra manebit,
Hic mihi nectar erit, quem tu libaris Iäcchum.
Securae tali resonant Paeane cohortes;
At non propterea respirat Brixia prorsus;
Sed licet infestus fossis Ligur incubet ipsis,
Praesenti, vicina fames plus, hoste timetur.
Marcellus (ne qua penitus sibi parte vacillet
Publica res, monitis, opus admirabile, nostris
Concipit, exemplum referat cui nulla vetustas,
Per colles tractam Benaco immittere classem.
Quae simul annonam septis, simul arma ministret,
Hanc unam interea rebus superesse medelam,
Dum majore manu, tepido mox vere, coacta,
Infensos totis deturbent finibus angves.
Certa sed obstabant coeptis loca; proinde refectos
Ducit eo cuneos. capitur Cornaria primum,
Dura dein capitur cum Nagi Peneda Burgo.
Adduntur positae Benaci litore in ipso
Torboliae, tuta portum statione daturae.

Iam vero et naves ſtabant ſub montibus altis,
Quas ex Hadriaco ſuſceptas aequore, multa
Mole per adverſas Atheſis ſubvexerat undas.
Quanquam omnes, quis res viſa aut audita, furorem
Illius orſa vocent. Quin jam negat ordo fabrilis
Artifices vano dextras adhibere labori,
Suggerit et lente mala diffidentia, quicquid
Praecipitur. ridere hoſtes, miſereſcere amici,
Improba veſanus convicia fundere livor.
Non tamen his quicquam, gravitas Marcellia, nugis
Tangitur, aut ponit rumores ante ſalutem.
Nec mora correpta, ſuccinctus et ipſe, bipenni,
Herculeas ſtruit ante vias. Silveſtria caeſis
Subſidunt montana jugis. quod demitur illinc
In ſubjecta cadens, valles exaequat hiulcas.
Tota loci facies alia eſt, genus omne ferarum
Diffugit, et quaerunt habitata cubilia Fauni,
Nec ſua mirantes agnoſcunt luſtra Napaeae.
Qualis Abydenam ſiccis ubi Dorida plantis
Calcavit Xerxes; verſa praepoſterus ira,

Fre-

Fregit Athon; et qua jacuit leo nuper et urſus,
Ignota admiſſo, volitant jam carbaſa ponto.
Qualis et in Latium deducens Punica ſaevus
Monſtra Libys, ruptam ſibi cedere compulit Alpem,
Cum ſilices putruere rogis, et torrida flammis
Saxa ſuperfuſi frigus disſolvit aceti.
Poſtquam indignantes, hominum veſtigia, rupes
Edidicere pati, longo ſuper ardua lapſu,
Ductilis impoſitas promovit machina puppes.
Quo non mortalis penetret ſolertia curae?
Quadrata advexam tollentia robora navem
Uncta volubilibus ſubigit vertigo cylindris;
Nec niſi velivolo ſolita inſultare profundo,
Lubrica per tumulos reptat, per teſqua triremis.
Diriguere Dei; rerum periisſe tenorem
Proclamat Natura parens, ac fulmina ſupplex
Flagitat, Osſaea ceu rurſus mole prematur
Pelion, et celſi jam vertice nixus Olympi,

Si-

v. 891. forte leg. adnexam.

Sidera centeno lambat ferpente Typhoëus
Ni pater omnipotens Parcas teftatus ab alto
Soletur trepidam; non coelo bella parari,
Terrenis proprios fed gentibus esfe labores,
Talia Fortuna moliri urgente coactis.
Difficilis trabibus fuit in fublime cacumen
Asfcenfus; gravior fed erat defcenfus in imum
Supremo de monte lacum. Non ulla tenebant
Vincula, ne vafto ruerent per prona tumultu.
Quin una abruptis, effugit libera, nodis,
Mille fimul fruftrata manus; et turbine tanto
Per declive latus canum decurrit in aequor,
Quanto dimisfis praeceps fi Phoebus habenis,
Luciferas medio cum flexit ab axe quadrigas,
Tethyos Hefperiae discusfis incidat undis,
Totus et in fpisfa temo condatur arena,
Elifis fpumet confperfus fluctibus Atlas.
Haud fecus ingenti Benacus fauce dehifcens,
Nunquam confpectas oftendit funditus algas.
Tauromenitanas non altius atra Charybdis

Ructat aquas; Scythicus nec ſic ferit aethera Nereus,
Cum gemina alternos coiit Symplegas in ictus.
Frondoſi maduere apices; tum litora pulſu
Icta tremunt, ac ſtagna vadis illiſa reſultant.
Naïdes et pavidae gremium ſubiere paternum,
Exanimes ſummo fluitant in gurgite piſces.
Ipſa illaeſa tamen (dictu mirabile) manſit,
Me ſervante, ratis. Parili neu deinde ruina
Exciderent reliquae, docui quo more caverent.
Forte jugum noſtris late frondebat olivis,
Arbore quam multa florens mihi ſemper Hymettus
Canet, et aprici, dorſum praepingve Taburni.
His ego, mutata nulli agnoſcenda figura,
Stipitibus, craſſos monſtravi obvolvere funes,
Neu valido attritu ſubito incandeſcere poſſent,
Aſſidue infuſis monui defendere lymphis.
Nunc etiam, facti ne non monumenta ſuperſint,
Vulnera rugoſos ſignant immania truncos.

Sic

Vulg. v. 924. fluitarunt gurgite.

Sic tandem immissae, pelagus tenuere Liburnae.
Quas nondum campis innare liquentibus omnes,
Dum putat, exactos interpellare labores
Aggreditur terris frustra Picininus et undis.
Provida turrito, Marcelli industria, vallo
Munierat portum, longis et cornibus actis,
Ultima transversa, praecluserat ora, catena.
Intus inoffensas, armat plebs nautica, proras,
Plurimus at vigilat per propugnacula custos.
Letiferas hic curva jacit balista sagittas,
Sulfureo hic crebrum torquetur pulvere fulmen.
Ergo intra teli vix ausae accedere jactum,
Adversae facili pinus cessere repulsu,
Nec tinxere lacum, sed humum tinxere cruores,
Acrior et solidis in montibus arsit Enyo.
Marcellus liquidem venturi haud inscius hostis,
Robore collecto clivos insederat altos.
Hos locus, ast illos numerus juvat. astra lacessit
Bellicus, et longe premit aera sonantia, clamor,
Illic scandentum, scandentes inde vetantum.

Susti-

Suſtinuit primo tantum certamine pugnam
Dux Venetus, totis voluit nec viribus uti.
Mox cum jam ſeros caneres, Picinine, receptus,
Incubuit denſo cedentibus agmine turmis,
Pone retentus eques; nec non et proxima ſigno
Effudere dato, pedites caſtella repoſtos.
Tum verſi Inſubres, tunc ingens edita ferro
Certatim ſtrages; ut late vallibus imis
In vada ſangvinei fluerent Benacia rivi.
Deſerit infauſto calcatos omine colles,
Pulſus et in campos fertur Peruſinus apertos,
Mantua qua junctis Veronam finibus urget.
Noſter pene omni dimisſo milite in urbem
Cum ducibus cunctis, ne quid pars illa labaret,
Ipſe ſuam laeto ſcandit cum remige clasſem,
Pervolat et rapido Benaei litora curſu,
Multa ſuper curvis victor capit oppida ripis,
Subſidium Paridi, vallatis porrigit eſcas.
Interea primi Picininus lumine veris,
Opportuna ſuo ſpeculatus tempora voto,

Quod

Quod non ulla prius tot bellis viderat aetas,
Trans Athesin sese necopino conjicit ausu,
Hadriacae medio narent licet amne biremes,
Tenderet et citra Venetorum exercitus omnis.
Tam grave momentum Marcelli absentia rebus
Attulit, et patuit quantum penderet in uno.
Captae continuo puppes; terrestria totis
Agmina pulsa vadis, turpes petiere latebras.
Discurrit latos, nullo prohibente, per agros,
Trux Ligur, et geminae, possesso margine, ripae,
Proxima cuncta rapit, nec Veronensia tantum
Victorem passis admittunt oppida portis,
Sed Vincentinas haud serius occupat arces.
Tunc et Ateste feros, extremus et horruit hydros
Mons Silicis, piger Euganeos qua Bacchilo saltus
Terminat, et mistas Aponi refrigerat undas.
Ipsa Antenoreis tellus fundata colonis,
Saxa super triplices congessit plurima muros.

Ill-

Vulg. v. 979. natitent.

Ilicet! attoniti tanto diſcrimine patres,
Sforcigenae magni procul a Picentibus arvis,
Sollicitant vires, et junctas foedere gentes
Auxilio implorant; non ſolos velle Philippum
Perdere Marcicolas; Genuae haud leviora minari;
Aeterno in Tuſcos odio flagrare; nec ipſam
Pasſurum Romam Petri ſervire cathedrae.
Communem reſtingvendum communiter ignem.
Tum, quae ſola obiter ſupereſt medicina pericli,
Marcellum, quamvis tunc te, Benace, domantem,
Praecipue, ac ſociis vectantem pabula clauſis,
Alpibus et, fuſo rurſum hoſte, tropaea levantem,
Veronae edicunt poſtponere cuncta tuendae.
Digresſu illius ſubito montana rebellant
Omnia; rara fides victis terrore remoto.
Adventu contra pavidos Verona tumultus
Comprimit, et fractas reficit fiducia mentes,
Cuncta obeunte viro vigilantibus ordine curis.
Sic depulſa inſtans urbi certisſima clades,
Sic intra menſem Picininus ab urbe repulſus,

Sub-

Submiſit poſt damna minas; turbavit et alter
Fervida corda timor, quod adeſt jam Sforcius heros,
Publica ſigna ferens; ſociae cui ſumma poteſtas
Tradita militiae. Non is denſisſima ſolum
Agmina, ſed ſecum Fortunam et numina agebat.
Tunc tamen in primis tardatus curſibus haeſit,
Longum, Brenne, tuis vetitus ſuccedere tectis.
Nam vafer ante vias venienti obſepſerat omnes
Hoſtis, et incipiens ſupremi a colle Soävi,
Late per medios, Athesina ad flumina, campos
Duxerat immanem (vix credent ſecula) fosſam.
Secula vix credent, ſed adhuc veſtigia reſtant.
Ergo nihil, tantis ſtipatus millibus, auro
Conductus tanto; clarum ſuper aethera nomen,
Ille novus poterat Venetis ſuccurrere Pyrrhus.
Sed veluti ſpectans, non tractans bella, jacebat
Irritus ingentis coepti; et jacuisſet in aevum,
Si non Marcellus, (cui jam ceu propria virtus,

Vulg. v. 1021. Breme.

Artarum duros rerum dissolvere nodos,
Nec solitas aperire vias,) clam, nocte silentí,
Moenibus egrediens, laevas abiisset in Alpes;
Sub juga montanos passim misisset agrestes;
Claustra relaxasset Caudinis aemula furcis,
Praesidia in tumulis simul opportuna locasset,
Castra per anfractus penetrasset Sforcia longos,
Optatum monstrasset iter. Tum limite tuto
Traductae raptim nemorosa per avia turmae;
Rursus et edomiti scopuli. Picininus ut altis
Arma vibrare jugis, et se circundare vidit,
Objicibus vanis, ac Dîs diffisus iniquis;
Evolat, et relegit, modo quem transmiserat amnem.
Hic ubi jam rebus levior metus; urbica fesso
Otia Marcello post tot concessa labores,
Non diuturna tamen. solum quippe advena ductor
Hunc cupit, hunc tantis unum reflagitat actis
Collegam, et pugnas alio consorte recusat.

Quin

Vulg. v. 1033. Arctarum.

Quin et cauliferum cum lentior ante sederet
Gevion, haud alio potuit svadente moveri,
Iret ut in montes, et opem tibi, Brixia, ferret.
Scanduntur rigidae jam brumae tempore cautes,
Benaci qua Sarca rapax caput intrat amoeni.
Tantus et obsesſae, per proxima mittitur, urbi
Victus, ut a Mella castris alimenta redirent.
Impatiens Perusinus adest, et praelia laevis
Confert auspiciis; majori sangvine nunquam
Egelidae caluere Alpes; quin ipse catenas
Haudquaquam effugiat, tacito nisi missus Olympo
Frater Atlantiades, (Parcarum ita fila jubebant,)
Eripiat sacri contectum nube galeri,
Nec solum asportet medios impune per hostes,
Insuper et subitis Veronam invadere donet
Fraudibus. O caeci mira inconstantia Martis!
Ille modo plane victus, prope vincula passus,
Possidet ecce dolo, quam vi non ceperat urbem,
Illatam referens graviori vulnere plagam,
Inter et arma, docens, nimium non fidere laetis.

Territus horrenda famae novitate ſiniſtrae,
Sforciades, Arſa circumactis valle maniplis,
Vincentina procul tranſcendere in arva parabat.
Verum hac intrepidus fugientem voce retraxit
Marcellus: Latiae dux o clariſſime gentis,
Quo tibi confuſam tulerunt mala numina mentem?
Per tales ut tanta vias evolvere tentes
Agmina, quis Cilicum fauces, et Caſpia cedant
Limina? praecipites labentur ad ima cohortes
Sponte ſua. Quodſi ſteterit ferus incola contra,
Multa unus ſolis prohibebit millia ſaxis.
Si facilis nos cura ſumus, miſerere tuorum;
Sin proprium decus, et Venetum fata ultima tangunt,
Veronam vexilla refer. non tota tenetur,
Tres ſuperant arces; manet una imperdita certe
Porta. favet Marco tanti pars optima vulgi.
Feſtina et dubiis etiam nunc hoſtibus inſta,
Dum nondum fixere pedem; mora ſola triumphum
Abſtulerit. poteris, tu tantum poſſe putato.
Reſpectus fac deeſſe alios; cui linquis amatam

Sae-

Saevus Ioannam? cui dulcia pignora, natos?
Depoſitum tibi fida tuum Verona reſignat
Si recipis. Non ulla magis movere labantem
Hortamenta animum. Vulſis ciet agmina ſignis,
Nec quiſquam urgenti ſatis accelerare videtur.
Ut Ganymedea, volucris famoſa, rapina,
Cum procul incubuit praedae; ſi forte relictis
Caeruleum nidis videt arrepſisſe draconem,
Presſa alas, ventos ſecat, et ſua fulmina tranſit.
Mane iter ingresſi, noctem junxere labori,
Mox iterum junxere diem, dum tarda ſub armis
Vix agitur per ſaxa phalanx. Verona ſonoro
Non aeque diviſa Atheſi; qua vergit in auſtros
Plana jacet; Vetus occiduis arx addita muris;
Martius Eois Romano nomine campus.
Oceano mergi vetitas qua ſuſpicit Arctos,
Praeruptis geminas attollit collibus arces,
Sed ſpatio breviore ſedet. pons plurimus acri
Impoſitus fluvio, partes confoederat ambas.
Si per plana acies, Marcello hortante, ſubisſent,

Tota reſumta ſemel foret urbs, comprenſus et hoſtis.
Montanos ſua Picenum Ioanna coëgit
Introitus praeferre ducem. Iam ſumma jugorum
Deciduo pronus feriebat lumine Titan.
Illa propinquantes vidit cum prima catervas,
Prima procul notum monſtravit in agmine conum,
Prima cavo turres ſonitum dedit aere per altas.
Stridula tum propere decurrens limina pandit,
Nec ſexum pudor, aut animum formido moratur.
Quam complexus amans, thalamos et ſtrata capesſit.
Marcellus, quanquam tenebris jam cuncta nigreſcant,
Sicut erat, recto tendens ad flumina curſu,
Navigerum prendit, (ſic nuncupat incola,) pontem.
Hinc portam, quae juncta, petit; ſed lignea crates
Arcuit ingresſum; Sarmenta huc ocius, inquit,
Ferte viri, et clauſtris oblatos ſubjicit ignes,
Telorum ex alto, nimbi de more, pluentum
Securus. nec adhuc Vulcani ſederat ardor,
Cum ſeſe, medias, presſis calcaribus acto
Per flammas, trajecit equo; chlamys uſta favillis

Horruit, et fummas laefere incendia criftas.
Paullum cunctati comites, dum Mulciber atros
Corruit in cineres, magno clamore fequuntur.
Clara ferit Marci repetitum fidera nomen.
Accurrunt tandem, pofita formidine, cives,
Certatim invictae figentes ofcula dextrae.
Mittitur et creber, ductorem ex arce fuprema
Qui vocet, ac partae jubeat fuccedere laudi.
Iam cruor Infubrum, plateas infecerat omnes,
Iam, Marcelle, foro victricia figna locaras,
Cum tam praefentes vix credens Sforcia divos,
Advenit, et, Salve Latialis certa Quirini
Stirps, ait, ac Veneti reparator maxime regni!
Vox erat in curfu, volucer cum nuntius affert,
Incenfa furtim Picininum ex urbe profectum.
Nec minus undantes, glomerato turbine, fumos
Profpiciunt ipfi, centum confurgere tectis.
Dividitur bellum; faevas extingvere flammas
Cura datur pediti; fugientum carpere velox
Terga jubetur eques; fed caligantibus alis

Quae texit profugos, Nox eſt remorata ſequentes.
Cetera tum ſomno refovet ſua membra juventus,
Marcellus reliquos, portis ac turribus, hoſtes
Detrahit, et Marci ſub leges cuncta reducit,
Ante piger flectat quam frigida plauſtra Bootes.
Sed majora viro certamina praebuit ipſis
Cum ſociis, mox orta dies; effrena receptam
Caſtrorum improbitas ſpoliabat turpiter urbem,
Infeſtis et pax ſaevibat triſtior armis,
Per miſeras ſine fine domos, per templa Deorum.
Non tulit ille ferox, et multa caede nocentes,
Compeſcens, una potuit ſub luce mereri,
Ut ſe bis patriae dicat Verona parentem.
Fama novi, rapida pernicior alite, facti,
Trans et Gangaridûm populos, et Atlanta cucurrit,
Mille canens pariter Marcellia nomina lingvis.
Ipſe (duci laetas ageret cum curia grates)
Piceni domitor: Non haec mihi debita, dixit,
Gratia; quid nobis aliena aſcribitis? Hic eſt
Unus qui vobis properando reſtituit rem!

Huic, veluti Mario, latices libate Lyaeos,
Huic omnes ſoli veterum conferte coronas,
Hunc cum vallari, roſtrata inſigniat, auro,
Vinciat hunc mixto crinalis gramine murus,
Hunc Iovis et Paphies, et Apollinis ambiat arbor.
Palladia, ſatis eſt, alios ſi cingitis umbra.
Haud equidem mihi vilis honos, ſi vera ſateri
Conſcia mens ſubigit; potior nunc gloria nobis
Invidia caruisſe, decus nec carpere amici.
Talibus asſtantem titulis ornabat. at illi
Dicta retorquenti roſeus pudor ora notabat.

Non ego nunc, iterum conſcenſas, eloquar Alpes,
Nec fractum rurſus Picininum in collibus altis.
Sed magis a Veneto revocatum Marte, tyranni
Imperiis, et mox Hetruſca ad praelia misſum.
Spem dederat multus Tyrrheni ſangvinis exul,
Posſe Philippeo Lydos accedere regno,
Si raptim verſis, Bojorum a finibus, armis,
Syllana admoto quaterentur moenia bello.
Callida quos hauſit poſtquam Florentia motus,

Se

Se ſimul et ſocias ciet ad tutamina vires.
Eugenius Latio Patriarcham a Tibride legat,
Mille ſagittiferos Phaëthontis condita fratri
Urbs adicit; claris ſpectatum Troïlon actis,
Piceno metuens adjungit Sforcia proles.
Quem, niſi Marcellum, Venetis miſiſſe licebit,
Sicubi dura vocant? Tantorum Hetruria dextris
Tunc defenſa ducum, patriis hoſtilia fixit
Inſuper arma Deis, et pompas egit ovantes.
Haud minor interea per Gallica rura Gradivi
Impetus, et Liguri ſimilis fortuna chelydro.
Nam ſimul ac vernae ſpirarunt mitius aurae,
Dum Picininus abeſt; numero tam Sforcius heros,
Quam virtute prior, gelidis non rupibus ultra
Utitur in pugnas, ſed in arva patentia ſeſe
Fundit, arundifero quae Mincius amne pererrat,
Mincius aeterni ſama celebratus alumni,
Mincius Aonia Permeſſi ſanctior unda.
Transgreſſum tortis horrens exercitus hydris
Excipit occurſu. Dux Italianus agebat,

Acer tractandis, ſed non et proſper, in armis.
Tunc etiam ſua fata viro. ſuperatus et ipſis
Exutus caſtris, longi te, Brixia, ſolvit
Obſidione metus, et quicquid pene quaternis
Perdideras annis, ſpatium tibi reddidit horae.
Nec diſpar Martis Benaco eventus in alto,
Totus et hic victa reparatus claſſe Philippi.
Marcellus ſed cauſa boni, Marcellus origo;
Qui primum ſiccas, per devia ſaxa, carinas
Vexit, et ob patriam naturae foedera rupit.
Poſt etiam plures denſa circum abiete caeſa,
Struxit, et in lymphas, ſaltus nudavit opacos.
Is jam Maeonio victor remeabat ab Arno,
Obvia cum reduci patrum mandata, Ravennam
Declinare jubent; ſenſiſſe inhiare rapacem
Quippe loco Ligurem; nec tam exitiale futurum
Quicquam Marcicolis, Hadriae ſulcantibus aequor;
Involet aequoream quam ſi gravis aemulus urbem.
Quod contra imbellem pronum ſatis eſſe potenti,
Verſuto contra ſtolidum. Nam forte Ravennae

Tum praeerat (ſi praeeſſe poteſt ignavus et excors)
Iure clientelae Venetis obſtrictus avitae,
Oſtaſius, veteris generoſus ſtirpe Polentae
Ille quidem, noſtro vacuus ſed munere mentem.
Hinc miſero inſidias vicini tendere. vulgus
Hinc dedignari frenos. praeponere quodvis
Servitium foedae ſtulti rectoris habenae.
Omnia diſcordi pasſim miſcere tumultu.
Ceu pueri indociles, ſtudiis per pulpita omisſis,
Cum rixas iniere; volant per inane libelli
Protinus, et nigros, ſpargentia cornua, nimbos.
Si gravis excitus rauco clamore magiſter,
Cum ferula et ſolitis apparuit horridus armis;
Compoſiti musſant, et nota flagella trementes,
Reſpiciunt; ſidit motus modo turbine pulvis.
Sic ubi Marcelli venerabilis illa refulſit
Majeſtas; poſuere irae; compresſa furentis
Seditio populi. Non bella forenſia tota
Luce fremunt; nulli grasſantur nocte latrones.
Certior excubiis it tesſera; jam ſuus aequo

Eſt

Eſt tenor; irriſas, metuunt jam crimina, poenas.
Venturam cives Marci ſub jura Ravennam
Crediderant, et eo Marcellum nomine misſum.
Ergo alacres animis, et dedere cuncta parati
Conveniunt, fremitu quos atria celſa petentes
Terruit exiliens, (quanquam aegros laeſerat artus
Crasſior aura loci,) non haec ſibi juſſa verendis
A patribus; ſed uti peregrina pericula longe
Arceat, et populum pariter cum principe ſervet
Incolumem; tanti Venetis non esſe Ravennam,
Ut circumſcripto, ſic infamentur, amico.
His ſemel, his iterum moniti, cesſere parumper,
Illum admirantes, illum aſtris laude ferentes
Multiplici, tandem ſeniorum lectior ordo,
Unanimae decreta ferens communia plebis,
Soli ſceptriferos urbis commendat honores,
Alter quod votis depoſceret, ipſe rogatus
Suſcipiat, Divos neu temnat ſponte vocantes,
Parentem fatuo, nulli parere Ravennam
Aeſtimet, et vacuae ſolium ſibi vindicet aulae;

Aut ſciat invitam ſeſe hanc donare Philippo.
Cœperat inſtantes placidis avertere dictis,
Cum medias ſupplex abrupit turba loquelas,
Arma micare foro, nec jam revocabile factum
Vociferans. Acres tum vero exarſit in iras
Fervidus, et virgis implexas, voce tremenda,
Iuſſit ab exerto ſtringi lictore ſecures,
Citra ſupplicium ſolo terrore timeri
Svetus, et humano tantum ultima ſangvine curans.
Dilapſi extemplo; tamen haud formidine tantum
Intremuere necis, quantum ſtupuere repulſa;
Eſſe aliquem in terris, hoc qui regnare ſub aevo
Abnuat, et precibus tantis oblata recuſet;
Quae ſibi vi raptant reliqui, ſitis improba quorum
Omnia ſacrati confundit vincula juris,
In patriam cives, in pignora ſaepe parentes
Suſcitat, et diros germanis induit enſes.
Par utinam cunctis animus; non claſſibus undae,
Non fremerent campi radiantibus aere catervis.
Vulnifica ſoli ſtreperent incude ligones,

Nil ſaevum cudente fabro; Saturnia gentes
Incluſae haud ullis, agitarent otia, muris;
Mors homini longae ſuccederet unica vitae,
Rurſus et in terras deſcenderet aurea Virgo.
Quanquam haud ſola fuit noſtri haec inſignis alumni
Temperies; quoties rutilantis grandia maſſae,
Pondera, ceu vilis cumulum deſpexit arenae?
Venerat ad Paridem, fugituris poſcere turmis
Transgresſum, tacito ſpondendi plurima, fultus
Arbitrio, gratis ſi forſitan ille negasſet.
Senſerat iſta Paris; cum Pyrrhi fraude ſecundum
Tentat Fabricium, partiri lucra paciſcens.
Marcellus veteris non ſe modo labe Gylippi
Abſtinuit, ſed nec Paridem niſi blanda loquendo
Flexit, et ingentem patriae ſervavit acervum.
Sforcia Veronam populabat turba receptam;
Mandavere patres redimi tot millibus urbem,
Aut medio pugnare foro; niſi ductor iniquos
Praedones cohibere paret; ſecreta Senatus

Sforciades aliquo deprendit jussa susurru.
Haud mora, commissum velut ipse acceperit aurum
Clam dat Marcello, taciturum in secula jurans.
Non tamen ille magis tam dulci peste moveri
Evaluit, quam qui Samnitum munera risit,
Dum coquit in fragili, tenuissima prandia, testa.
Haec dum diversis bello vel pace geruntur
Partibus, autumno jam torrida cesserat aestas;
Proxima segnis hyems. Primos tantummodo flores
Mutuus exiguo maculavit sangvine Mavors.
Tum litui siluere truces, et ferrea Iani
Claustra exarmatos, paullum tenuere, furores.
Nam fessus tandem post praelia longa Philippus,
Nec potis ulterius felices ferre superbi
Sforciadae insultus, patrias se vertit ad artes,
Promissam spondens Iuveni mox tradere natam,
Insuper et pulchrae solium dotale Cremonae,

In-

Vulg. v. 1310. susurro.

Invisum certo medius si foedere bellum
Terminet, et socero parcat gener. Illius aegros
Expugnant sensus, hinc ambitus, inde libido.
Iam se Marcicolis socium, jam Insubribus hostem
Nescit, et ambiguus positis sedet arbiter armis.
Postquam inter geminas coiit concordia partes,
Oppida praeclarus repetit Picena sequester,
Conjugiis et dote potens; Cytherea qualis
Praemia, Dardanius Therapnaeo a litore judex
Retulit, et timidae fecit rata somnia matris.
Vix bene trajectus Rubicon, et ovante triumpho,
Nupta maritales nova circumducta per urbes;
Martia cum subito geniales clasica buxos
Turbarunt. Latius justas flammatus in iras,
Rapta reposcebat Piceni regna sacerdos.
Victor Campanis juvat hunc Alfonsus ab oris,
Nuper depulso, patuit cui capta, Renato
Parthenope. Iuvat et generi memor offensarum,
Trux Galeatiades, et Celtica damna rependit.
Non tamen ille acie, sed paupertate subactus,

Vincitur, et cunctis late miserabilis errat,
Praeterquam socero; tantae quem poenitet unum
Vindictae; haud ullum capiunt odia improba finem,
Dum supersit aliquid misero, quod perdere possit;
Ergo data, immeritum tendit spoliare, Cremona.
Providus hanc olim Venetis commiserat heros
Tutandam, metuens cognati toxicon angvis.
Hac iterum causa discussum pacis amicae
Foedus, et ad capulos dextrae rediere minaces;
His commendatam studio retinentibus omni;
Ad breve concessam tempus jactante Philippo.
Non tamen hic ullus Superûm favor. impia sanctas
Iustitiae adversus tentantem praelia leges,
Destituere Dei; sive illos causa fugavit,
Ultima seu Parcae jam nentes fila tyranno.
Seu duce mutato, castris Fortuna recessit.
Nam rapto Stygias Picinino nuper ad undas,
Filius Insubrum Franciscus signa regebat,
Tam minor ingenio patris, quam robore major.
Sed quid corporeae prosunt ad talia vires?

Mea-

Mentis opus regimen. Venetis aequisſima contra
Bellandi ratio, fatis adjuta ſecundis;
Dux ſimul, et Divos potis emendare ſiniſtros,
Marcellus. Veterum patrio de more Quiritum,
Ille quidem pacis ſtudiis per rura vacabat,
Iam pridem, Gradive, tibi pendentibus armis
Emeritus; Stivae juvat asſudare prehenſae,
Aut propagatam ſcrobibus defigere vitem.
Ipſe manum ſentit felicem palmes, et ipſae
Patricio rurſus gaudent cultore novales.
Sin rediturorum feries dilata laborum;
Libera Achilleis indulgent otia plectris.
Fraxinea quoties modulantem dulce ſub umbra
Atthides argutae presſis ſtupuere querelis?
Mulcendas quoties cantanti praebuit aures
Quae modo venantem fugitarat, turba ferarum?
Tunc etiam iſtorum quiddam ſecretus agebat,
Cum ſubitos faſces feſtinus ab urbe ſatelles
Obtulit, et laetis ſtrepuere tumultibus aedes.
Haud ſecus intonſum mediis quaeſivit in arvis

Dictatura ſenem. modici ſqualentia campi
Iugera praeduris verſabat forte lacertis;
Ecce repentinus cunctanti raſtra viator
Excutit, et trabeas humeris ſudantibus aptat,
Sceptra ſimul tradit. Iam ceſſerat ore verendo
Sordida ruſticitas; jam reſpondebat honori
Majeſtas formae; trepidos, nova purpura, tauros
Terret; et inſolito rerum fulgore paventes,
Mutatum nati dubitant agnoſcere patrem.
Quintius et qua ſit, veniens interrogat uxor.
Talis tunc poſita, Praetoria, falce petebat
Marcellus; ſparſos primum in ſtativa manipios
Colligit; occurrunt procul et venerantur ovantes,
Nec dubios illo ſperant rectore triumphos.
Dum properat, non aere gravis, non munere dives
Venerat; haud aliter tamen illi edicta faceſſunt,
Quam ſi mercedes et donativa tuliſſent.
Tanta fides uni, tantum vel parcus amatur.
Credere quis poterit? venalis in omnia pubes
Nec niſi depenſo, prius unquam mobilis, auro,

Non

Non ullis fulvae, donis illecta, monetae,
Sed placido vultu, ſed blanda voce jubentis,
Certatim arma rapit, certatim aeſtiva relinquit,
Certatim in cuneos agitur. pars ultima vulgi
Lentarum timide veniam petiere morarum.
Reſpuat ille preces; ſed adhuc confligere patrum
Interdicta vetant. ſi verbis ante Philippus
Flectatur, crudum ſtimulent quam clasſica Martem.
Ut tandem vario protractos longius aſtu,
Legatos regredi, fraus intellecta, coëgit;
Tum demum cupidis diviſa pecunia turmis,
Ductori pariter permisſa licentia pugnae.
  Sforciades poſtquam Picenis ſenſit in oris,
Misſum ſervandae, Marcellum ad bella, Cremonae;
Ignovit Venetis, et tempeſtiva putavit
Adjumenta ſuis, decreta hoc praeſide, rebus,
Ante queri ſolitus tardis ſua damna levari
Subſidiis, ac jura palam ſocialia rumpi.
Nec Ligurum ulterius diſcurrunt agmina pasſim,
Aut praedas meditantur agris, aut oppida pandunt,

Aut urbis clausae portas velitantur ad ipsas;
Sed procul in tuta sese statione recondunt.
Insula non paribus magni circumflua ramis
Prominet Eridani; citra minor alluit amnis;
Ripa sed interior praeruptas ardua moles
Vorticibus subadesa levat; tum spinea primos
Dumeta obducunt aditus; post herbida longo
Planities spatio patulum se extendit in aequor.
Neu desit liber partes egressus in ambas,
Dividuae totidem nectuntur pontibus undae,
Pabula jumentis large locus ipse ministrat,
Cetera navigiis accedit copia rerum.
His sedet in claustris plus hoc peritura Iuventus,
Quo melius vallata fuit. Sors nulla pericli
Deterior, nullum quam formidare periclum.
Quis pudor, ignavi, campo non credere aperto?
Nec perferre animis, numero quem vincitis hostem?
Non latebrae tutos faciunt, sed provida virtus.
Stulta, satis nullo munitur, inertia muro.
Vos licet hinc Ganges, hinc intrajectus Araxes,

Vos

Vos Tanais tota gelidus Maeotide cingat,
Vos Styx gurgitibus liget interfusa novenis;
Inveniet Marcellus iter. Cui ſtringere ferrum
Sponte nimis prono, poſtquam timor hoſticus acres
Adjecit ſtimulos, notat aptum invadere tempus,
Confiſos ſeptis, nec quicquam tale verentes;
Arte tegens tanta coeptorum arcana ſuorum,
Ut ſe explorari prudens patiatur, et ultro
Imperet hoſtiles duci per caſtra Dolonas
Venturi nullam ſpeciem praebentia motus
Sed menſas inter vario ſtrepitantia luſu.
Quos ubi donatos etiam dimiſit, et omnes
Praecepit cuſtode vias; clam, murmure nullo
Armat et educit, ſtructas et promovet alas.
Franciscus (quamvis, praedae quos cura per agros
Sparſerat, ingeminent, Venetum adventare ſub armis,
Quamvis pulvereum, piceo ſe turbine, coelum
Induat,) illa tamen nimia formidine fingi
Iactat, et auctores famae caſtigat inanis,
Nil fraudum ratus, et multo ſecurus Iaccho:

Donec purpurei propius micuere leones,
Ferreus et contra praeſtrinxit lumina fulgor.
Ut levis afflavit quem forſitan aura ſecundi
Fulminis; exanimus jacet, ac ſe morte teneri
Credit et ipſe. tremunt reduces jam in pectore ſenſus,
Nondum aperire oculos tamen, aut exſurgere fidit:
Sic ſtupuit Iuvenis. vix tandem voce reverſa,
Ite, ait, infauſtum citius reſcindite pontem,
Ite mei, ſtantem nam ſpes jam nulla tueri,
Aut opus. interea reliquum ſe armaverit agmen.
Talia dum rauco pallens tonat ore, revulſi
Iam fluvio innabant plutei; nec ſcandere pernix
Integra Gentilis potuit tabulata; ſed egit
Tam parvum, parvo ſtaret ne ſangvine, lucrum
Angvigeris; adeo fruſtrati ſaevius ardent.
Poſtquam improviſo, perculſos vidit, adortu,
Marcellus, totas in flumina lata phalanges
Praecipitat, captus vada qua monſtraverat index.
Quis tibi facta viri paribus nunc omnia dictis
Explicet? unus obit diverſos mille labores,

Aegra licet morbo labefactus membra recenti.
Unus mille duces variis discursibus implet.
Aptis ille locis tormenta ex ordine ponit,
Quis contra ex alia jacientes parte repellat.
Ille iter ostendit properantibus. ille morantes
Arguit. ille ferum primo irrumpentibus amnem,
Praèmia magnorum non irrita dictat honorum.
Ille docet placidos, ubi mollia litora, clivos
Demittunt; brevioris ubi minor impetus undae:
Huc tu, Pice, mihi spumantes dirige habenas,
Nuda relucenti qua flavet glarea dorso.
Quo miser in latices, quo tendis, Oliva, sinistros?
Dexteriora tene; summas hic purus arenas
Vix tegit humor; ibi crasso illuctabere coeno.
Clamat, et ante omnes medium secat ipse profundum.
Tela inter crebrae stridentia grandinis instar,
Fatorum serie defensus et aegide nostra.
Ipse manu lituo revocantis ab ore magistri
Excusso, ingressis canit irremeabile signum.
Fit sonus, et scisso, crescunt vada turbida, fundo.

Mi-

Mirantur procul arma virûm, mirantur equorum
Naïdes, et rubras, optant ſibi figere, pennas.
Abditus arcano, genitor reſidebat, in antro,
Extulit aſtriferos, tamen ad ſpectacula, vultus,
Indignans tacite, quod tanta audacia cuiquam,
Ut regem Heſperidum pedibus proculcet aquarum.
Haec volvens animo, calidas Deus humidus iras
Concipit, et tollat fluctus, ni Iupiter obſtet,
Tantum Dis noto, faſſus ſua numina, ſigno.
Ergo viris undae faciles; ſed ſcandere ſiccum
Durius. abſciſo, pendebat margine, tellus,
Nec deerat ſparſae, cuſtodia rara, coronae
Spicula protentis, injectans deſuper, haſtis.
Quam ſuus ut terror, virtus et reppulit horum,
Circuitus longos pars, et declivia quaerunt,
Pars agili ſuperant etiam ſublimia ſaltu.
Nec ſolus multo luctantem verbere cogit
Cornipedem ſeſſor; ſtimulos praeeuntis acuto
Pone juvat conto, qui tergum proximus urget.
In ſolidum evectos denſa excepere ruborum

Arbuſta, et late denſis via vepribus horrens.
Haeſerat his pulchre Venetum fortuna frutetis,
Cum non attonitis ſi res foret. Ordine rupto
Divulſae huc illuc acies, et callibus artis
Errabat confuſa vago ſtructura meatu;
Ampla ſed hanc propriae, mox reddidit area formae
Prima ubi ſurgebant Liguris tentoria valli.
Hic tandem juſto coiit certamine Mavors.
Tunc fragor haſtarum coeli crepitare per auras,
Tunc tinnire pares colliſis enſibus enſes,
Tunc pulſae gravibus galeae ſubſidere clavis
In cerebrum, et ſummus ſiudi clamoribus aether.
Nunc propellentes videas, nunc mutua rurſus
Cedentes. dubio ſic unda reciproca fluctu
Ludit, et impulſi non uno flamine culmi,
Aut inclinantes alterna cacumina ſilvae.
Non tamen aequa diu, gemini ſtetit alea fati,
Quippe exterriati necopino turbine rerum

Iam

Vu'g. v. 1530. arctis.

Iam pridem Infubres, non multum longa tulerunt
Praelia, ductores primi insiluere paratas
Ac solvere rates. reliquum plebs cetera pontem
Corripuit. Sed quae trepidi tot millia vulgi
Lignorum compago ferat? depresfa refixis
Robora federunt trabibus; fallit amnis, et altum
Immugit circa nemus; ac Phaëthontides alni,
Plurima concusfis, fuderunt fuccina, truncis.
Impediunt miferos, arma infelicia nantes,
Impediunt et equi. fluitant errantia pasfim
Scuta virûm, et galeas prohibent defcendere coni.
Neu multis extrema morer, victoria noftris
Plena fuit. merfi plures, pars maxima capti
Ambrofidum. elapfi, quantis fatiata pepercit
Iam manus, et nimiis hebetes fuccesfibus irae.
In tuto difcrimen erat, cum caftra rapinis
Tradita, nox donec reditum fvaderet, et omnes
Repleti fpoliis; te, dux Marcelle, remoto,
Qui ditare alios, quam tu ditefcere, mavis,
Pugnanti praedam, decus inter bella regenti

Assignans; de tot nec commoda plura triumphis
Unquam sortitus, quam victum Persea ducens
Paulus, et eversae qui sprevit signa Corinthi.
Ista, Cremonensis quicquid desciverat agri,
Aut erat ereptum, momento palma recepit.
Ista polos ultra Marcellum nomine vexit,
Nec quisquam terris sonuit tum tantus et alto.
Ista secuturis latum et proclive tropaeis
Stravit iter. Nam cum reliquis jam lenta placerent
Otia, Marcellus, non nunc hyemare cohortes
Tempus, ait, cum laeta suos dant carpere fructus.
Quis probat Hannibalem, Cannis ita segniter usum?
Aut enervatos, Capuae intra moenia, Poenos?
Ne, rogo, ne pereat, quod rapto miles abundat,
Quod stipe mensurna, quod adhuc pars major opimi
Est super autumni. Sic ore effatur, et altum
Mente movet facinus; violatum Insubribus hydris,
Compensare Athesin, Ligurum graviore ruina.

Angvi-

Vulg. v. 1579. mensura.

Angvigerum ſicca, celer Addua munit, ab Urſa,
Imperium, tantis Celtarum ex amnibus uno
Nec multum minor Eridano; ſic valle profunda
Sulcat humum, ſpatio diſcedunt litora tanto.
Huic clandeſtini textum vectabile pontis
Inter nocturnas furtim injicit ille tenebras,
Trans fluvium miſſo prius explorare Tiberto.
Poſt etiam miſſis, alia qui parte minantes
Transgreſſum, intentos traherent longinquius hoſtes.
Ars ſuprema fuit, quod qui prohibere parabant,
His ſvadere fugam, fictum ſubmiſit amicum.
Nullis tecta dolis exegit cetera virtus.
Quippe in trajectu medio, veracior affert
Inſpector, duo multifidi reſtare fluenti
Brachia; deinde alter, totidem deſcendere naves,
Percuſſum roſtris valeant quae ſcindere pontem.
Tum vero trepidare omnes. odiſſe paratus
Letiferi inventum. nullam ſperare ſalutem
Ni redeant. tunc et veterum meminere malorum,
Priſca recenſentes exempla timore magiſtro,

Sae-

Saepe olim Venetis, tentata ea flumina, ſignis,
Sed ſemper ſummo, fruſtra tentata, periclo.
Nunc primam longe vetitos inſiſtere ripam,
Nunc merſos avidis jacuiſſe natantibus eſcas,
Seu Gonzaga pius, ſeu Carmaniola ſeverus
Duceret, a coeptis ſemper cum ſtrage repulſos.
Hic eadem ventura, Deos ſi forte negantes
Irritent; ſive id terrae, ſive eſſe liquori,
Fatale eſſe tamen, ne quando hac tranſeat hoſtis,
Nec Marci vexilla datum defigere cuiquam
Hos ultra latices. Quae dum turbata retractant
Agmina, Marcellus, quid vana paveſcimus? inquit.
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis,
Nos ut rejiciant. numeratum miſimus undas.
Ne decurrentes poſſint offendere pinus,
Praetenti facient haec ipſa ad munera funes.
Aut illas nudis haerentes forſan arenis
Corripient noſtri. Divo ſunt et ſua Marco
Fata, colubriferi fatis meliora Philippi.
Numquid hic alter Halys, dubia transmittere Paean

Quem me forte vetet? Pontum temeravit Iäſon,
Oceanum Caeſar; vacuas homo daedalus auras;
Nos brevis exiguae, retro fuget alveus, undae?
Eſſe poteſt aliquid gravius fortasſe regreſſu,
Turpius eſſe nihil; nec quod magis ipſe recuſem,
Promtus iö tanta caput hoc pro laude paciſci.
Has inter voces, captas en fama carinas
Nuntiat, et facili geminos ſuperare canales
Poſſe vado; nullos hoſtes; tuta omnia circum.
Sic primum, intactam bellis tot ſecula terram,
Praeſide Marcello, Veneti presſere leones.
Iam laetus totis quem mane exercitus armis
Vallat, et invito, prope vi, calcaria cingit
Aurata, et fulvum, reliquis cum ornatibus, enſem,
Militiae ſublime decus. tanti Addua cunctis
Sub juga misſus, erat; nihil ut ſpecioſius unquam
Cenſerent egisſe virum. ſua nam prius illum
Propugnasſe; at nunc animoſam hoſtilibus arvis
Injecisſe manum. Nempe et Capitolia curru
Scandebant, certa Latiorum lege Quiritum,

Non qui servassent, sed qui nova regna parassent.
Multa huic diversi tribuere insignia reges
Sponte sua; in primis modo Parthenopaea Renatus
Sceptra tenens; post hunc Francorum summa potestas.
Quin et Pannoniae rector, tua cura, superbae,
Nobile nuper ei veterum gestamen avorum
Contulit adveniens, unde illi in pectore laevo
Ignea gemmati dependet spira draconis.
Multis saepe ordo tituli provenit equestris.
De tot praeclaris, Marcello, pulchrior isto
Nunquam accessit honos; idem non pulchrius ulli,
Si bene causa, locus, tempus, modus, omnia, recto
Iudice pendantur. Pudeat qui talia regum
In thalamis fortassis emunt; et cultibus ipsis
Turpes dedecorant, quod non meruere, metallum.
Ipse etiam socios, aequa vice, gratus honorat
Ductores, cunctis totidem castella viritim
Distribuens; sunt et reliquae sua munera pubi,
Inter se pretiis, quantum distantia causis.
Nec tu vile puta fluvio nova vincula tali

Addere; vix ullo claret celebratior actu
Iulius, Arctoi, domito quam gurgite, Rheni.
Quae tamen ausorum prior illi gloria, quam quod
Transiit? aut fructus potior, quam sospite sospes
Agmine quod rediit? longe hic majora videbis.
Vicinum primo Cassanum invaditur, illinc
Saxeus immensos pons aedificatur in arcus.
Ulterius ne jam transire volentibus obstet
Hac velut aeterna religatum compede flumen.
Inde, licet gelido tristis jam bruma Novembri,
Sub pelles ageret cuneos; tamen omnis opimae
Insubrum urbis ager late percursus, et ingens
Capta hominum et pecorum, nec non, opulentia, rerum.
Quin jam lucra satur spernit mediocria miles,
Iam nisi perfusam, fastidit, murice vestem,
Aut virides gemmas, argenti aut pondus et auri;
Cetera calonum turbae rapienda relinquit.
Saepius humanos effrenant prospera sensus.
Turbida seditio tot praedis inter onustos
Exarsit; nec jam torres aut saxa per auras,

Sed

Sed validis vibrata ruebant pila lacertis.
Sed procul impulſae, nervo ſtridente, ſagittae,
Fiſtula ſed parvum, quod torſit ahenea plumbum.
Nec plane magnis Venetûm ſine cladibus isſet
Ille dies, ni ſe (quanquam ora et pectora nudus)
Marcellus telis propere inſeruisſet et armis,
Temporis et puncto furialis praelia rixae,
Vultu, voce, manu, tacita et pacata dedisſet.
Ut cum tranquillas, ſubiti vis turbinis, undas
Suſtulit in ſcopulos; imis excitus ab antris
Rex maris, Aeolias fugat in ſua clauſtra procellas.
Vix emerſit aquis; premit horrida ſibila mutus
Auſter, et erectum Boreas timet ipſe tridentem.
Diffugiunt nubes, et ſolo mobilis aeſtu,
Lactea marmorei diffunditur area campi.
Ille per intactos, curru volat alite, fluctus.
Sic tum veſani ſedata amentia motus.
Nec data lasſatis, niſi ſero hiberna, catervis.
Ne tamen efferret tumidas incuria mentes,
Solveret ignavus, neu ſegnia corpora, langvor;

Tunc etiam variis agitatum excursibus agmen
Ticini ad muros. Tunc et tua, maxime Bracci,
Stirps Carolus, tantum referens virtute parentem,
Gentilis ductu campo deletus aperto,
Gentilis, quo non Marcello carior alter,
Nec gestis propior, quantum coelestia dextrae
Mortales, possunt attingere facta Deorum.
Quis tibi tunc, horum fons et causa una malorum,
Saeve Philippe animus? duplici cum Marte videres
Succubuisse tuos; nec jam in confinibus hostem,
Verum in visceribus positum; gladio, igne, rapinis,
Nunc tua vastari, cui praedae aliena solebant
Esse prius; latebris clausus nova semper in horas
Deteriora audis, et famae irasceris ipsi.
Nec jam impune tibi tua damna renuntiat ullus,
Hostibus et plus te, referentes tristia, laedunt.
Sed quo plus fractae vires, hoc acrior astus
Serpenti; si qua caput aegrum attollere possit,

Si

Vulg. v. 1715. clausis.

Si qua everſorem rerum evertisſe ſuarum,
Nocte, die, ſecum rimatur et omnia tentat.
Hinc ſicae inſidias, gentilis at inde veneni,
Poſtremo artifices, (quarum illi ſumma facultas,
Quis tot mollitus rigor, et tot capta virûm mens,
Italiae toties quae turbavere quietem.)
Suggerit illecebras, et grandia munera mittit,
Munera Poplicolas, et corruptura Catones.
Quicquid lanigeris, urbs pulchrum, condita Gallis,
Cudit, net, tornat, ferro, ſubtemine, ligno.
Quicquid ab orbe alio, terris, humore, metallis,
Fert, vehit, exhaurit, mercator, navita, foſſor.
Marcellus tamen his, tantum cor praebet et aures
Quantum fabellis ſopitus anilibus infans.
Nec magis admittit fallacia dona tyranni,
Quam cauta Aeaeos, Ithaci prudentia, ſuccos.
Ille ubi ſeſe aquilae nimium ſublime volanti,
Nequicquam laqueos intendere ſentit inanes;

Heu!

Vulg. v. 1728. Publicolas. v. 1730. ſubtegmine.

Heu! genero rurſus (quid non rerum ultima cogunt?)
Supplicat, et modo quem totis attriverat armis,
Invocat auxilio. veniam dent ambo viciſſim
Praeteritis; adſit ſocero certiſſimus orbo
Haeres, et ſolium, natis jam, arceſſat avitum,
Nec ſinat affini Venetos irrepere regno.
Spe tanta, et fatis victus Sforcia Divûm,
Addit ſe Liguri, benefacta et foedera longe
Marcicolûm laudans, et mille ingratus honorum,
Nec pro ſe coepti paullo memor ante duelli.
Quem dum colla nova lente de ſtrage levantem,
Gallica longinquos tenet inter Sena paratus,
Praeſentûm indigno ſolatia cernere cladum
Viſconti, extremam, torquentes crimina Dirae,
Applicuere diem. Nam pulſo ut frigore primum
Arboribus frondes redierunt, gramina pratis,
Marcellus paullum circa expugnanda moratus,
Terrae expugnari poterant loca ſi qua propinquae,
Continuo tantis, ſummum decus addere, factis
Apparat, et votis auſus majora priorum,

Ipſam illam Mediae, referentem nomina, lanae,
Admotis urbem ſtatuit pulſare catervis.
Obſtabant multi: Pone hos, Marcelle, furores,
Neve Giganteis conatibus aethera tenta;
Quin ſi tale aliquid noctis tibi fingat imago,
Matutina piet non fauſtos victima ſomnos.
Tune hanc, Heſperiis, qua nulla frequentior oris,
Obſidis? cum praeterea tot moenia ſervent
Armata cum pube duces. procul iſta faceſſant.
Unde tuis victum? poſt omnia quaerimus illud,
Quantus tam magno petitur diſcrimine fructus?
Noſter ad haec: Plebs eſt illic numeroſa, fatemur,
Sed quid cerdonum curabit praelia miles?
Sunt et relliquiae, ſed nobis ante ſubacti
Agminis, et viſo tantum victore, trementes.
Victus erit, mea quem ſecreto cura paravit,
Bis detoſta Ceres, plauſtris invecta ducentis.
Commoda ſuccedent, quod vectigalia, quorum

Pro-

Vulg. v. 1766. Obſideas.

Proventu pollet Ligus, intercepta peribunt;
Quod Mariae invicti modo formidabile nomen,
Vile dehinc mundo, tenuem vaneſcet in umbram.
Iam ſi intra muros aliquem conſurgere motum
Accidat, o quali claudemus bella triumpho!
Quis ſpe pro tanta vel ſumma pericula vitet?
Inter verba, ſimul tolli vexilla jubebat,
Nec ſtetit ante ferox, Lambri quam fixa locavit
Caſtra ſuper ripis. Coelo pars tendit aperto,
Contiguos foſſis pars obtinet hoſpita vicos.
Vaſtatur circum, quicquid vaſtabile Mavors
Invenit; abductos paſtor, caeſoſve juvencos;
Vinitor exectas vites; frumenta colonus,
Meſſoris curvam prope jam poſcentia falcem,
Vel depaſta gemit, vel proculcata. reliquit
Quod ferrum, ſternit ferro violentior ignis.
Haec ſuper, inſcriptas jactat Marcellus in urbem
Paſſim literulas: Non vos ego laedere cives,

Sed

Vulg. v. 1777. Ligur.

Sed magis a tetra ſervare tyrannide veni,
Segnis et immanis domini; qui lentus in aula,
Ceu populator iners alieni fucus acervi,
Quaeſitis fruitur veſtris; nec conjuge quenquam,
Aut nato gaudere ſinit, male ſexibus utens,
Naturae nec jura minus, quam veſtra profanat.
Pandite, Libertas pulſat, iō, pandite portas.
Talia ab excelſa proſpectans turre Philippus,
Talia item relegens, ira, formidine, luctu,
Deficit, et multum diverſa mente volutat,
Non jam qua regnis, capiti ſed conſulat aegro;
Seu maneat, vulgi timet in ſua tecta tumultum;
Sive ſuburbanam Beagrasſae cedat in arcem,
Duplex inde metus; profugum ne forſitan hoſtis,
Ambiat; et populus pejora hinc audeat exlex,
Cujus praecipuum, ducis eſt praeſentia, frenum.
Qualis multimoda variatus imagine Proteus,
Huc illuc verſos, novat in contraria, vultus;
Nam modo qui truncus ſteterat, jam mobile monſtrum
Ludit, et in liquidas dilabitur igneus undas.

Centum non aliter curas Galeatia proles
Mutat, et in nulla potis est consistere forma,
Quam saepe amplectens aliquid, tam saepe repellens
Amplexum. tandem non ultra passus acerbam
Infelix rabiem, Superos non ille protervis
Vocibus incusat, (nulla horum cura profano,
Nulla fides,) sed quam terrae imponebat et astris,
Impia Nursinae jactat convicia Divae.
Tum Furias olim praesentes, in sua diris
Fata ciet precibus, nec surdo devovet Orco,
Damnatum jam nocte caput. Nondum omnia plene
Dequesto, subita percussum bile cerebrum,
Motus eripuit cunctos, et lumina clausit.
Mors erat; asstantes credunt tamen esse soporem
Paullisper; dehinc ut mora jam suspecta quietis,
Dant fictos primum strepitus; tum surgere blande
Hortantur; mox et manibus (nunquam id prius ausi,)
Sollicitant; sero tandem coepere vereri

Id,

v. 1822. forte legendum: Murcinae.

Id, quod erat; sed adhuc venas et pectora tractant.
Ille pilum vellit, guttasve irrorat aquarum;
Hic frustra gelidis conclamat in auribus; alter
Ora levi explorat jam non spirantia pluma.
Ut satis extinctum patuit; non tristia ducunt
Funera; celato, dant longa silentia, facto.
Nec celare labor, fastu quippe ille superbus
Vixerat Assyrio, populi commercia nunquam
Dignatus, lucemve pati; nec ab hospite visus
Augusto; non ipsa virum sat noverat uxor.
Favit et humano coeli indulgentia furto.
Nam volucri iratus Famae tum forte Deûm rex,
(Quod dejectorum Phlegraeo fulmine fratrum
Irrequieta ultrix, solito traduceret omnes
Liberius Superos, nec jam toleranda moveret.)
Ora Deae innumeris, sine fine sonantia, lingvis,
Presserat, et versas, in terga revinxerat alas,
Ni mediae obsistant Parcae, trusurus et ipsam
Sub Titaniacum, cognata ad monstra, barathrum.
Hic pater Ambrosius, Ligurum qui praesidet urbi,

Mul-

Multa ſuper cara formidans gente ſuorum,
Nec magis hanc Veneto cupiens parere leoni,
Quam flammis, ruptaeve rapi telluris hiatu,
Haec ſecum: Qua nunc mea dilectisſima ſedes,
Defendam ratione tibi, caſuſve ſupremos,
Externumve jugum? Simul ecce jacere Philippum,
Hoſtem urgere foris; vario intus fervere motu
Quamvis incertum rapto de principe vulgus
Asſpicio; cujus letum ſi fabula promat,
Dum Marcellus adeſt; ſpes deinceps nulla ſalutis.
Interea quaerenda igitur medicamina morbi.
Quae via quaerendi? Non ipſe accingier armis
Diſtulerim, ni dextra enſem ſacrata refutet.
Ibo, ibo et ſummum lacrymis orabo parentem,
Per mihi ſudatos, mundi in ſtatione, labores,
Perſonarum aequa pro majeſtate ſacrarum,
Dogmate quam pravo turbaverat Arria labes.
Spero equidem, Marco rerum ſi indulſit habenas,
Hanc unam ſervare mihi non abnuet urbem.
Quanquam ille aeterna, fixum ſibi lege, ferebat,

Om-

Omnibus ut seclis Viscontum regna manerent;
Nostra nec Hadriacis serviret Gallia nautis,
Dum stabiles terras ambiret mobilis humor.
Heu solus generis non eluctabile nostri,
Marcelle exitium! mortali unde ista potestas,
Ut vertas et fata retro? Noram ipse, fatebor,
Natum te excidiis, et in haec extrema meorum.
Hinc adeo primis, unum insectabar ab, annis
Qua poteram mystes; sed nec prius aequore toto,
Postmodo nec tantis, valui te perdere, bellis.
Congessere omnes, quoties in te omnia, turmae
Spicula? quot gladiis, quot te oppugnavimus hastis?
Incita vibratis, te saepe falarica, nervis,
Tormentis acti petierunt saepe molares.
Non semel ipsae imis convulsae moenibus arces,
Ipsae in te turres vasta cecidere ruina.
Tu tamen en vivis, tam nullo vulnere laesus,
Quam Messapus equûm domitor Neptunia proles,
Necdum ales Cygnus, vel jam non femina Caeneus.
Nec tantum vivis, verum et non fanda minaris,

Imperio non jam Ligurum, tenuisfima cujus
Umbra relicta tibi; fed plane fedibus iftis,
Sed mihi, fed parvo, mea quod teglt osfa, fepulcro.
Vincis homo Divum? fuccumbimus et damus herbam?
Non ita. Nec magnum delubri ego limine ab hujus
Theudofium arcuerim, nifi te, qui turbine portas
Nunc quatis has. Haud dum totas confumfimus artes.
Efto, facerdoti ferrum tractare negatur,
(Nam fi; fenfisfes dudum, haec quid dextera posfet.)
Ablegare dolo certe permittitur hoftem,
Ablegare parum fuerit. Nil fcilicet egi,
Dum fuperas. ergo et vitae difcrimina texam.
Lauda fortunam, tibi quod cum praefule bellum.
Quam procul a trunco jam cervix ifta jaceret!
Si nihil aftra valent, Stygios tentabo recesfus.
Turpiter haud ullis patriae fuccurritur armis.
Quid vero commota in te mihi profuit olim
Invidia? et penitus delectum Acheronte fub imo
Prodigium? fuerat levis haud fiducia nobis,
Hanc tua pulfuram noftro faftigia collo,

Cum modo te Tuſcas, procul abſentaret, in oras,
Segnia nunc mediis, revocaret ad otia, caſtris,
Quin et ab urbana jam longe luce remotum,
In pecorum caulas, et viles egerat agros,
Prorſus et armifero de bellatore colonum
Fecerat, ac ſcepuris asſvetam nuper eburnis,
Cogebat raſtri capulo incalleſcere dextram.
At tu iterum dux ecce mihi; ferus ex duce victor,
Ex victore, (niſi propero) jam everſor apertus.
Quid tum ſi properem? reſtant alia, improbe, reſtant
Monſtra Erebo. juvit nil unum, plura juvabunt.
Dixit. et obtenta placidi venia ante Tonantis,
(Nec mihi tum nutus contra fas ire paternos.)
In noſtram ſeſe faciem transformat, et iſtis
Marcellum aggreditur dictis; veneratur amicum
Ille ſibi Numen; nec fucum ex aethere ſentit:
Claudia gens, Tydeo mihi cura vel Hercule major,
Quid ſtruis? invictis, aut cur ſub moenibus, ultra
Cunctaris? fructus, potuit qui maximus, auſi
Esſe, fuit. nec jam ſperes majora peractis.

Quodſi Sforciades his te deprendat in oris,
Iam jam venturus multis cum millibus heros;
Quam vereor, ne te nimium cesſasſe queraris,
Neu tibi ſola parum tua tunc Tritonia proſit.
Finge moraturum; ſolido hic ſi ſederis anno,
Lucri non hilum facies, cum plurima perdas.
Quot poterant caſtella capi, quanta oppida vinci,
Dum nihil hac aliud, niſi inanem nominis umbram
Obſidione petis, levium ambitioſus honorum?
Huc ades, et poſt me, pridem cupientia velli
Signa fer, ac dextros, mecum celer arripe, colles.
Iam tibi ego haud inopes tractus, jam Laria late
Litora ſubjiciam, mox et meliora ſequentur,
Tu modo rumpe moras; ipſum te, crede, pigebit,
Cesſeris hinc quod non prius, aut huc veneris unquam.
Talibus avertit dubium, non irrita quanquam
Pollicitus; longinqua nihil, dum liberet urbem,
Damna movent, toto ſibi quam velit orbe redemtam;
Quidlibet amisſum, ſalva hac, reparabile ducens.
Nec contentus eo, furva oſtia Ditis opaci

Pul-

Pulfat, et huic aliud multo pollentius addit.
Eft Dea, Tartareas inter non ultima peftes,
Noctis et haec foboles; cui jure Calumnia nomen,
Mille quod una modos fallendi, mille figuras
Noverit. obliquos componere nulla fufurros
Doctior, et falfo fpeciem praetendere veri.
Obfcuris maculis asfpergere candida rerum,
Virtutes vitiis, et recta invertere pravis,
Praeftrinxisfe oculos, et tanquam in retia, folers
Quamvis prudentum captivos ducere fenfus.
Facunda ad morfus, ad laudes muta canendas,
Tam caute mendax, hominum fua femper ut aptet
Commenta ingeniis; metuit quod quilibet, illud
Auribus inftillans, et quos impugnat, eorum
Certa ex ambiguis compingens crimina factis.
Nunquam infefta palam, nec aperto noxia bello,
Altum fecuros, ac defenfore carentes
Urget, et occulto petit improvifa veneno,
Piratae fimilis, nocturnove aequa latroni.
Heu fcelus infandum! tu longe ignarus et abfens,

Integer, innocuus, meritorum praemia forsan
Expectas, rebus patriae feliciter actis.
Illa tui effigiem subiens, quo fidis, amici,
Iam tibi fortunas rapuit, jam vincla paravit,
Aut Gyari scopulos, miseraeve novissima vitae.
Moribus accedit facies; nam callida blandos
Fert prae se vultus, et fictum subdola ridet
Exterius; tacitae spirant intrinsecus irae.
Accedit cultus. Phlegethontis sulfure tinctam
Laeva rotat taxum; graciles fert dextra sagittas,
Tinnulus adducto, nervus nec sibilat, arcu.
Accedunt comites; quarum Ignorantia princeps,
Induta antevolat picea caligine nubem.
Credulitas aurita simul, simul anxia vadit
Suspicio, et caecae Lethaea oblivia mentis.
Tum Livor pallens, et personata Simultas,
Nec non attritam tollens Petulantia frontem,
Insidiae et Fraudes, et titillantia vanos
Verba animos, geminum stipant latus. at procul instat
Terga sequens lacero, tristis Metanoea, capillo.

Ta-

Talia tela gerens, tales fortita miniftras,
Non furit in caftris, hoftefve accendit in hoftes,
Pacem et tuta colens, fidos difcludere nexus
Geftit, et abruptos odiis committere amores.
Nec pagos aut rura quatit, regalibus aulis
Incubat, et magnas, incognita posfidet, urbes.
Hic aut judiciis interftrepit atra reorum
Pernicies; aut fe popularibus inferit undis,
Calcans depresfos, obtrectans fumma tenentes.
Ifta lues olim, quoties fervata fuifti,
Ingratam toties fieri re, Roma, coëgit.
Carcere in Actaeo ferales ifta cicutas
Mifcuit, et teftas infcripfit prima nocentes.
Materiam Tragicis crebro dedit ifta cothurnis,
Semina dum torret, fubjectum defodit aurum,
Dum docet Antiam, vel te, Minoï, pudicos
In juvenes propriae facinus transfundere culpae.
Hanc fenior vocat, et Venetam fubmittit in urbem,

Mar-

Vulg. v. 2001. Palpans.

Marcellum adverſus. Vexillis ille reductis
Sede Philippea, victor fluviale tenebat
Iam Brevium, jam cui vulgare Briantia nomen,
Monte potitus erat varia praedivite gaza.
Iam Barci aëriam caſtelli ceperat arcem.
Ceperat et Lecchi pontem de nomine dictum,
Pontem, et tergeminas, pontis munimina, turres,
Maximus effundit rapidum qua Larius amnem.
Haud procul hinc, vallo jam Lecchum cinxerat ipſum,
Quo ſine nil partum merito cenſebat; eodem
Omnia perdomito, circum fore tuta videbat,
Nec reſtaturum quicquam, niſi protinus omnes
Ut ſua Casſani figant tentoria campo
Inſubrum muris ita demum posſe vetari,
Ne qua e vicinis immigrent pabula terris,
Sed nova jejuni tentent molimina cives.
Fractura obſesſum, lente dum machina, Lecchum
Advehitur; rapit ipſe leves, juga in ardua, turmas.

Sa-

Vulg. v. 2026. tentant.

Saſena, hic valles et Valtolina ſubactae.
Omnis et ora lacus, et lex impoſta ſubactis,
Cuncta haec luciferos intra properata quaternos.
Monſtriparae interea proles Erebeïa Noctis,
In medio ſpargit virus furiale ſenatu,
Nunc alias, alias nunc ementita virorum
Aut Divum ſpecies, et totos advocat aſtus.
Haec in conciliis, haec per privata domorum
Multiplici ſermone ferens: Quo priſtina vobis,
Marcicolae divi, quo nunc ſapientia ceſſit?
Unus homo rebus, tanto jam tempore, veſtris
Praeſidet, at non ſic terrarum maxima victrix
Roma, ut jactatis, veſtrum caput. Annuus illic
Conſul erat; nec plus ſpatio Dictator habebat
Semeſtri. Non tuta fatis (dicto exitus abſit!)
Eſt ibi libertas, ubi cive ſupremus in uno
Continuatur honos. Marius cum Caeſare clarum
Praebent exemplum; repetitis faſcibus alter,

Al-

v. 2029. Alii: Voltolina et Voltalina.

Alter prolato rurſum in quinquennia, factus
Auctior imperio. Quanto moderatior iſtis,
Qui trabeas nato populum deferre vetabat,
Erigeret Fabiam toties ne purpura gentem?
Nemone de tanta digne ſucceſſerit illi
Nobilitate patrum? ſoliusne unica virtus
Marcelli? Sic ipſe putat, ſic caſtra loquuntur.
Remigibus vobis et piſcatoribus illic
Ridiculum nomen; ducis ille vocabula ſolus
Obtinet, et veſtris creſcit ſua gloria probris.
Scilicet ante annos, veluti Corvinus, et ambo
Scipiadae, ſummos, capiat Marcellus honores!
Deplanet tumulos, et montes naviget altos!
Servitio populos, et ſceptra oblata recuſet!
Nec penetrata ulli tranſcendat flumina primus!
Poſtremo, (ne quid deſit,) Carthaginis ipſas
Asſultet portas, et famam terminet aſtris!
Vos pecus ignavum, verboſae ingloria pacis
Turba ſeneſcatis. Sin rauca ad claſſica quando
Vel Legatus eas; illudat lixa protervus,

Quod

Quod toga longa tibi, quod equo male cernuus haeres;
Certe idem vobis, aut et generosior ortus.
Nec dextra ille prior, nec mentis acumine major.
Adde quod assiduae tantum erexere tumentem
Praefecturae animum; jam solus ut omnia verset,
Permissi haud quaquam contentus limine juris
Gattamelata prius, Michaël nunc vestra gubernant
Agmina, Provisor tantum Marcellus in illis.
Nomine quo externis civem ductoribus unum
Iungere mos vobis, qui pro quaestore vetusto,
Subvehat arma, cibos, vestem dispenset et aurum,
Non qui acies struat, aut cuneos huc raptet et illuc,
Hic, decus et rerum summam, sibi vindicat uni,
Foedera, quando libet, sancit; fert ordine nullo
Signa, refert eadem, spreto rectore, superbus.
Quodsi quis contra, quamvis clarissimus, ausit
Praecipitem mutire virum; manus ilicet auso
Injicitur, dictisve rubet laceratus amaris.
Quis, precor, indubitet, quo tanta licentia tendat,
Prospiciat ni vestra suae cito cura saluti?

Haec passim inculcat magnam, Dea foeda, per urbem.
Protinus invidia magis hinc flagrare maligni,
Formidare simul timidi; pars sanior aequo
Nititur; et dubio prohibet rumore moveri;
Nec praejudicio quenquam damnare, sed omnem
Legitima, causam jubet ante expendere libra.
Mittitur extemplo Marcelli cognitor actis.
Nec valet austera quicquam perstringere lima,
Inter facta viri nil non ratione gerentis.
Haud tamen idcirco liventum insana residunt
Murmura; principio Lecchum ne vincere possit,
Suppeditare inhibent, dura oppugnatio quicquid
Exigit. hinc quamvis etiam nunc ferveat aestas,
Intempestivae dant praematura quietis
Otia, ceu lassis, per tot jam bella catervis.
Vix defixa tuas citra, pater Addua, ripas
Vexilla, angvigeri cum mors allata Philippi,
Emissa, tandem tunc primum prodita, Fama.
Expectare aliis visum praecepta, sed horae
Momento gnarus variari commoda rerum

Marcellus, raptas, muris Laudenſibus, alas,
Ocior impingit Zephyris, et luce ſub una,
Urbe ſimul potitur, lati ſimul arcibus agri.
Sub juga te mittit ſimili inde, Placentia, curſu,
Ticinum misſurus item, ni Sforcius heros
Anticipet, tradente ſocru. conduxerat illum
Sollicitus fruſtra de libertate tuenda
Inſubrum populus. Patres, Marcelle, monebas,
Augerent caſtris numerum; quibus ante Philippus
Praefectis valuit, Marco ſervire paratos;
Quos ſi ſuſcipimus, certa eſt victoria nobis.
Conſilium tumido deſpexit Curia faſtu,
Italiae jam ſe dominam rata; nec fore quenquam
In terris, qui jam tantis ſucceſsibus obſtet.
Nunc ſibi bellantûm fatis ac ſuper esſe, levandos
Tot potius ſumtus. Sic addita copia parti
Oppoſitae; multo ſic Sforcia milite crevit;
Ut jam congresſum Michaëlis tarda ſenectus
Horreret, nec ſe venienti opponeret hoſti,
(Dum te is Lambre minor, dum te mox Addua major,

Trans-

Transgreditur,) sed praeveniens in terga rediret.
Bis tamen explicuit structas in praelia turmas
Marcellus; medios bis rupit Sforcia pontes,
Non ausus conferre manum. sedet altera longe
Cura animo; Soceri meditans invadere regnum,
Nec sibi rem Veneto facilem sine foedere cernens,
Marcelli alloquium studio flagrante petebat,
Multum progrediens, si quando admota coissent
Arma, et ferventem vestigans lumine campum.
Detorquere alio cursum tunc Noster, et intra
Agmina densa virûm notas abscondere cristas,
Ne quam oblatrandi caperet furor aemulus ansam.
Ille autem, postquam sperato nulla facultas
Colloquio; scriptis et per mandata precari,
Imparis acciperent sese in consortia vincli,
Non ex dimidio socium, sed paene ministrum.
Possideant ipsi mundum, sibi pauca relinquant.
Marcellus certum faciebat rite senatum,
Omnia significans; ni significata repellat
Iam dudum adverso, durata superbia, fato.

In-

Invisis ut qui furtiva incendia tectis
Molitur, siluit cum nox et fortior auster
Spiravit; tunc ille faces, tunc arida subdit
Rimosae fomenta trabi; vix abditus astro
Delituit; rapidae superant jam culmina flammae.
Haud secus arrepto, Cocytia tempore virgo,
Proditor! exclamat, (vel nunc advertite patres)
Proditor ille inquam. nec dissimulata, patescunt
Coepta; adeo clare peccat temerarius ardor,
Nil argumentis, nil ultra testibus ullis
Ut sit opus. famulos ad quem sic missitat hostis,
A quo sic recipit; non jam suspectus haberi,
Confessi debet sceleris reus. est vetus illis
Inter se (noristis) amor, par ambitus olim
Amborum; taciti struitur concordia pacti,
Huic Ligures, Venetos huic donatura regendos.
Horror ad haec animis obicem properare periclo,
Non jam in praetensum statuunt inquirere crimen,
Itur diversis, subita in suffragia, votis,
Discolor et duplicem, jactatur nodus, in urnam.

Mitior evicit sed adhuc sententia; poenam
Noxa alias subeat, nunc frenum audacia sumat.
Ergo, qui nunquam fuerat datus ante tot annis,
Adjicitur collega viro. tacet ille modeste,
Non aliter, quam qui, Minuci, te pertulit aequum.
Dein, gliscente malo, trepidus clam scriba vocatur,
Conscius ignari, canat ut secreta, patroni.
Quo nondum viso, nedum in tormenta levato,
Ipse magistratu propere decedere solus
Castrensi, et (medio sibi quae provincia nuper
Obtigerat bello,) Veronam intrare jubetur.
Heu quae tum lacrymae! qui per tentoria planctus!
Non hoc nupturam, pubes aequaeva, sororem
Prosequitur gemitu; non sic rudis ejulat infans,
Cui placidus longinqua parens trans aequora tendit;
Non ita natorum lugent ad funera matres.
Quas singultanti Michaël dedit ore querelas!
Amplexu retinens abeuntem; nunc sibi raptum
Omne decus, summo nunc se certamine vinci!
Optimus in cara quantum cervice pependit

Gen-

Gentilis! largo suspirans talia fletu:
Quid peregrina mihi, quid jam super arma secuto
Marcicolûm? quem parva procul Leonessa creavit;
Haec consangvineo referunt si praemia civi,
Tam bene praesertim merito de gente suorum,
Quam de Romulidis nec ductus ab Hercule sangvis,
Nec meruit pariter Cornelia tota propago.
I, longum felix, et adhuc sublimior illis,
Qui revocant. Luet hanc, luet hanc tibi patria culpam
Plus etiam, quam tute velis. Non prospera diri
Omina firmarunt tonitrus, et in aethere fulgens
Hydra Cleonaeo visa insultare leoni.
Ille notae impatiens, Veronam parte sinistra
Deserit, et recta sese ad non mite tribunal
Praesentat, qua torva decem sedet ira virorum,
Nil leve discutiens, sed si quod sangvine dignum
Exiliove nefas; quales Rhadamanthus et asper
Aeacus, et rigido gravior Minoë Lycurgus,

Man-

Vulg. v. 2188. securo.

Mandendasve cani Stygio, Furiisve secandas
Cum saepe addicunt animas. procul ipsa piorum
Septa tremunt; necdum regresso Castore, Pollux
Aufugit, et medios, rumpit Proserpina, menses.
Marcellus vultu nihilominus asstitit illic
Haud alio, Argolici quam dura ad jussa tyranni,
Non trepidus, tristis tamen apparere solebat
Amphitryoniades; recti sibi conscia virtus
Letiferum nil Theta pavet; miserescere plebem
Indigna affecti macula. latitare silentes
Passim carptores. fiet plurima turba, nec unquam
Adjurant habuisse fidem. Quaestoribus ipsis
Iam pudor; insontem clamant et abire precantur.
Instat Marcellus, quae sint ea crimina poscens,
Nec discessurum, nisi cognitione peracta,
Vociferans. Tandem proponunt pauca coacti,
Quae purget, quando ipse velit. Nil ille moratus,
Ordine respondet: Nunquam pulsasse Tibertum,
Saepius id quamvis meritum; delicta furentis
Sustinuisse magis nimium patienter; id unum

Cum Michaële fibi non convenisfe frequenter,
Plus utri deferret uter, dum mutua cedunt,
Cultibus alternis pia dum reverentia certat.
Teftes nolle alios, nifi quos laefisfe feratur,
Nil tot misforum vicibus, fefe inter et hoftem
Tractatum, quam quod toties perfcripferit ipfis,
Non folum auditus nunquam, verum inde notatus
Praecipue. Faxint Superi ne fero fidelis
Pareat! et melior fuerit fententia patrum!
Iam vero Adduacas, tanquam difvaferit, undas
Olim tranfiri, quis jure objecerit illi,
Perfvafor facti fuerit qui folus et auctor?
Svafi ego tunc, inquit, nec parva hinc gloria rebus
Accesfit Venetis; at non ea flumina nuper
Me fvadente forent retranfita; turpiter hoftis
Ne premeret refugos, quos ftantes ante timebat.
Haec fuper innumeras aures adducit, et actis
Signatas profert tabulas; vox praedicat omnis
Non jam abfolvendum, titulis fed in aftra ferendum,
Tunc et ab autumni decurrens lucida portis

Aſtraea, et terras iterum dignata relictas,
Inferno excitum ſupera de ſede fugavit
Portentum, et triſti rurſus demerſit averno.
Indiciis ſic qui fuerat delatus iniquis
Non modo dimisſus, ſed et amplis laudibus auctus,
Feſta triumphales inter referentia plauſus,
Te, Verona, petit; cum tota Oenotria dudum
Iam deplorasſet percusſum vindice ferro.
Nec tarde, aut levibus perceptum deinde periclis,
In caſtris quanti Marcellus ponderis esſet.
Non vigor ille animis, non diſciplina, nec ordo
Priſtinus. Hic olim paſtore carentibus error
Armentis; nullo, fluitat ſic cymba, magiſtro.
Continuo huc illuc pretio conducta juventus
Dilabi, ac totae crebris rareſcere turmae
Transfugiis; reliqui, Tyriis ceu dentibus orti,
Disſentire ſibi; nusquam hoſtem ſiſtere contra,
Sed trepido fugitare metu, quaſi nulla tenentes
Arma manu, ac longe viſos horrere colubros.
Inde Placentinae vulnus miſerabile cladis

Prin-

Principium tantis dubium nec praebuit omen
Casibus; Obsessam non aequis viribus urbem
Sforciades ab aquis pariter dum pulsat et arvis,
Divi implorantem modo cognita nomina Marci,
Impia crudeli permisit inertia praedae.
Haud unquam in terris tam lamentabile quicquam
Spectavit gemino discurrens cardine Phoebus;
Nec cum Byrsa solo jacuit Sidonia, nec cum
Exuperans Libycam feritate Numantia Byrsam,
Teucria nec tanto flagrarunt tecta tumultu,
Cum meus arcanas, decepta in Pergama, pugnas
Parturiit sonipes, et agenti gaudia Trojae
Inclusa abiegnis irrepsit Graecia costis.
Quicquid avarities, quicquid violentia, quicquid
Foeda libido potest, cumulum tunc venit in unum.
Nulla domus postes habuit; distracta supellex;
Matronis decus, et teneris erepta puellis
Integritas; data sacrilegis templa ipsa rapinis.
Quae digito tetigisse nefas, confracta profana
Vasa manu, et medias quadrupes stabulatus ad aras.

Nec Siculo detracta joco, vel palla Tonanti
Aurea, vel poſita genitorem reddere juſſus
Aemonius barba juvenis; ſimulacra Deorum
Tota liquefacto, penitus conflata, metallo.
Cetera formarum ferro diſcuſſa ſacrarum
Materies, latebris dum veſtigatur et illis
Theſaurus. Tum quas, Veſtalibus alba dicavit
Vitta focis, pepulere Deas, non nota ferentes
Dedecora; et tenuit Liparaeos Iupiter ignes!
Heu nimis augurio, fundata Placentia, laevo!
Moenia populifer tua dum praeterfluet amnis,
Hanc memori lucem ſervabis pectore, mites
Hannibalis curſus, et Punica tempora laudans.
Non minor inſequitur deletis plaga Liburnis.
Vecta Pado claſſis, ſtupeant Neptunia quantam
Caerula, quam ſero captae ſubvenerat urbi,
Tam propere capta ipſa perit; quam forte Cremonae
Sforcia tum metuens, ſubductam paene, nec ullo

Ter-

Vulg. v. 2292. Vita — deam.

Terreſtri auxilio fultam, (trans Ollia turpis
Flumina Marcicolas timor egerat,) impete magno
Aſſilit, haud multas fluviali a parte carinas
Immittens, totis terra legionibus inſtans.
Ergo ubi fulmineus tranſtris late incidit imber,
Attoniti partim contermina in oppida nautae,
In ſilvas partim, remis fugere relictis.
Effugere tamen minime, ſed prorſus et ipſi
Omnibus extracti latebris, et perdita cunctis
Oppida cum ratibus; ſic dulci in gurgite Mavors
Abſtulit, aequoreae quas non fregere procellae.
Haec inter, Venetas diſcordia ſaeva cohortes,
Iactitat, et vallo non auſi promere vultum,
Intus depugnant, tantum ad civilia fortes
Praelia; ductorum nullus pudor; inſuper atrox
In Proviſores odium. bona diripit hujus
Improba ſeditio. ſaxorum nimbus in illum
Grandinat; aegre alius ſtrictos ſubterfugit enſes,
Ceu conjurata Marcellum vindicet ira
Tota phalanx. jam qui ſuccedere nuper avebant,

Signorum imperiis, converſi odere curules
Sic prius ambitas; reditum, quam laurea, malunt
Serta comis. Ventum vix ad tentoria; ſolvi
Militiae aerumnis orant, et more ſiniſtro,
Menſtrua diverſos, mutat Praetura, regentes,
Nec cuiquam indictae posſunt jam obtrudere multae
Letale officium; Donati gloria donec
Stemmatis Hermoleos, rerum ſuſcepit habenas.
Hic dum Verona tranſit; Clarisſime nobis
Conſule, ductor, ait, mandati in munere juris
Quid ſequar aut fugiam; primis nunc imbuor armis
En ego tiro ſenex, placidos cui clasſica ſomnos
Inſveta abrumpant; viridi tu miles ab aevo.
Non ego, Marcellus reddit, ſat idoneus et par
Conſuluisſe tibi, noſtrae qui lumen es urbis,
Ingenio cujus nulla experientia major.
Ne tamen omnino tanti asſpernemur amici
Iusſa; triplex illic hominum genus esſe monemus,
Una ſenum ſpecies, quibus olim frigidus alget
Sangvis, et antiqua formidine corda tremiſcunt,

De

Devictos etiam quod se meminere frequenter.
Hinc nihil ipsi audent, aliis audere nec unquam
Indulgent, segnes et quamvis tuta timentes,
Ut cum Thaddaeo Michaël. Pars altera, pugnae
Exerti juvenes, et quorum non ita celsus
Est gradus; hos semper calida et temeraria cernas
Hortantes; altae pariant quo laudis honores.
Nempe haud ignorant, licet ipsi grandia clament,
Gesturos nil tale tamen, qui summa gubernant.
Quodsi forte gerant, minimum se perdere, qui sunt
Inferiore loco, peccati nec sibi culpam
Appendi; at si qua Deus asspiraverit ausis,
Tum vero exultant tumidi popularibus auris.
Tertia temperiem medio moderamine servat
Conditio, ut tractu vitalis Zona benigno,
Cui gelida inde nives, hinc torrida commodat aestus,
Qualis cum nostro bonus est Gentile Rubertus,
Fidi ambo, et semper miscentes fortia cautis.
Auscultandi omnes, tantum ultimus ordo sequendus,
Iudicio cunctos internoscente sagaci.

Unum fupra alios caveas, praedico, Tibertum
Quam potes attente, quo non fallacior alter,
Nec magis invidia, magis ambitione fupina
Inflatus; finget totum explorasfe; per omnes
Iurabit Superos; at tu ne credulus efto
Ambiguas fortes vatum de more canenti.
Ille quidem fumtis, miles non impiger armis,
Verum confiliis nemo aeque futilis auctor.
Non monitus ea dicta viri, fed certa fuerunt
Oracla, et folio veracis digna Sibyllae.
Felix Hadriaci nimium res publica ponti,
Haec fi tum fervata forent! fervare repertor
Sed poterat folus. Confeftim fcribere retro
Candidus Hermoleos, Marcellum, pofcere, reddant,
Nil fuccesfurum, ni caftris ocius adfit,
Non fecus ac medicus jam deficientibus aegris,
Esfe ignominiae fibimet quae fvadeat; at ne
Subticeat verum, patriae difcrimine cogi.

Hifce

V. 2369. pro: *non* forte leg. *fatis*. vel: *non tam piger*.

Hisce remittendus decerni coeperat, et jam
Atria purpurei complerant picta togati;
Interea cum fusae acies, exercitus omnis
Prostratus, cuncta extrema collapsa ruina.
Causa et origo mali prima et prope sola Tibertus,
Hostilem modo se campum mentitus agresti
Perlustrasse habitu, plena dum corbe rubentes
Venum fert uvas; tunc, tunc invadere inermes
Tempus, ait, secura cibo dum corpora curant.
Limes erat tenuis, quem parte rigabat ab una
Crassa palus; aliam clivoso vertice collis
Desuper umbrabat, post area lata patebat,
Decertaturos satis explicitura maniplos.
Hunc Venetus collem, reduci si forte receptu
Mox sit opus, nulla tutum statione relinquens,
Irruit, adverso qua propugnacula vallo
Lignorum transversa dabant; fortassis et ipsas
Intrasset portas; nisi destituente Tiberto,
Cessissent primi, subito excubitore repulsi.
Spes ubi conceptas fallunt exordia, raro

Cetera proveniunt. Nam poſtquam Sforcius heros,
(Quem tum prandentem talis turbarat adortus.)
Mente recollecta, peditatum eduxit, et una
Criſtatos equites; fuga fit foediſsima late,
Nec cuiquam tutas, fas intra evadere, foſſas;
Pennatarum inſtar volucrum, pelagive natantum,
Quas circumducto claudunt cava retia nexu,
Capti omnes; rarus vitavit vincula ductor,
Neuter Proviſor; ſpoliis plebs miſſa receptis,
Elabi Hermoleos poterat, ſed conſcia magni
Nobilitas generis, poſuit decus ante ſalutem.
Ultimus e tanta bellator Coleo turba,
In nemus abſciſis, vicinum conditur, armis
More lupi, ſocio quem ſolum ex agmine paſtor
Urget, et hinc telis medium premit, inde moloſſis,
Ille diu retinente fame, pellente tumultu,
Cunctatur, multum dubitans, ac faepe reſiſtens,
Verſus ad extremum ſilvae ſuccedit opacae.
Fama rei nondum populi percuſſerat aures,
Cum pater e ſummo delubri culmine Marcus,

Profpiciens terras Ligurum, fua vulnera vidit,
Vidit et horribilem vafto gemebundus hiavit
Murmure rugitum; freta tota et proxima tellus
Intremit, adverfus redit in numerofa Timavus
Ora; cavernofae refponfant eminus Alpes.
Tum quae demisfo refidebat langvida collo,
Dilaniat, pro crine, jubam; perit ira retufis
Dentibus, et plantis ungves latuere reducti.
Dant pariter fratres gemitum; Iovis ales obunco
Avellit plumam roftro; lacrymabile mugit
Taurus, et humana flet quartus imagine confors.
Hymnifonae cesfant voces, ac trifte per auras
Myftica viventum ftridet compago rotarum.
Ipfe aliquantifper dubius, coeline rogaret
An telluris opem; lugubre rubentibus alis
Tollitur, et fuperans Athefin, praetoria curfu
Veronaea fubit; grandes ubi pectore curas,
Rerum ignarus adhuc, fecreta in fede coquebat
Marcellus; duri, nunc publica damna, duelli,
Nunc nova privati volvens opprobria cafus.

Tum

Tum prior, (agnovit ſiquidem, licet horridus angor,
Punicei ſacros mutaverit oris honores.)
Numine adorato ſic, moeſtus et ipſe, profatur:
Alme parens, urbis, tutela haud irrita, noſtrae,
Ut te ego nunc primum poſt tanta pericula nobis
Viſum, cerno libens; tibi, nam tibi conqueror uni,
Praecipue indignum paſſus livoris iniqui
Dedecus; o ubi tunc mihi tu, juſtiſſime Divûm,
Ultima cum nuper cervicis quaeſtio noſtrae
Penderet? tanquam modo Carmaniola necatus,
Parva tuis eſſet longo nota civibus aevo.
An fortaſſe meos veniſti, optate, dolores
Vel nunc ſolari, leviter foturus acerbum
Vulnus, et hunc habitum tibi noſtra injuria fecit?
Cur ego non unquam mediocri de grege civis,
Sed ſemper vel ſumma tenens, vel merſus in imo?
Da, precor, anguſti, procul a civilibus undis,
Otia receſſus, ac me permitte parumper
Ingratae iraſci patriae. non Cinna cruentus,
Sylla nec eſſe peto; ſatis eſt ſi Scipio ſiam.

Sit

Sit mihi Mons Silicis, Linternum quod fuit illi,
Quandoquidem quorum clasſes perduntur et urbes
Auſpiciis, ſidi magis et meliora merentes.
Plura locuturum ſacer hac leo voce ſecutus:
Tunc regnum Italiae Stygiarum ſila ſororum
Invidere mihi, cum te, fortisſime, noſtris
Improba fraude nova caſtris ſubmovit Erinnys.
Tunc, inquam; tamen haud plagis adhibere medelas
Nunc, Marcelle, tuis; graviores addere curas
Venimus, et patriae luctus aperire recentes.
Illa tibi noſtro ſolatia magna rependit
Iudicio, cum te, ſolenni lege rogata,
Conſenſu tanto, mendaci crimine ſolvit.
Foſcarus ipſe tuas percenſuit ordine laudes,
Haud alias functus praeconis munere Princeps.
Primum, cuncta aliter, licet acri examine facto,
Quam fuerant objecta tibi, patuisſe profesſus.
Adjecit pariter, quantum a puerilibus annis
Sudarit tua dextra mihi; quam ſaepe ruisſet
Res mea, labentem niſi tu cervice ſubisſes,

Magnus ut Alcides lasſati pondus Atlantis.
Quare cum major ſit honos, ſic esſe ſolutum,
Sic accuſatum quam infamia; parce querelis.
Pone truces animos; injuſtas juvit Athenas
Exul Ariſtides; juvit ſervantior aequi
Cliniades; lentum nec vincla paterna Cimonem
Fecerunt; poto Neoclides ſangvine tauri
Occidit, Infeſtos ne laederet ultor Achivos.
Iam quantas matri donavit Marcius iras,
Oenides nuptae, caeſo dux Phthius amico?
Nec quicquam in Latiis tam clarum annalibus extat,
Quam profugi pietas et manſvetudo Camilli;
Victores muris Senonas qui depulit illis,
Quis depulſus erat, redimi nec pertulit auro
Urbem, quae modici ſeſe damnaverat aeris,
Turpe ratus miſeris odio inſultare tenaci.
Hic tibi prae cunctis hodie, Marcelle, ſequendus.
Allia nunc quoniam nobis Caravagia tellus,
Noſtra premunt quoniam ſaevi Capitolia Celtae,
Bojorum in campis robur jacet omne meorum.

Sfor-

Sforcia victrices, vada jam trans Ollia, turmas
Promovet, et totum quicquid tellure tenemus
Erepturus adeſt; in te ſpes unica nobis,
In te, qui ſolus ſuprema pericula noſti
Propulſare tuis. Oblitus ſurge priorum,
Compeſce elatum nimiis ſuccesſibus hoſtem.
Eſto Epaminondae, Sparten poſt Leuctra petenti
Alter Ageſileos; noſcant aequaliter, illinc
Sforciades, alios quod vicerit; inde ſenatus,
Quantum perdiderit, cum te revocavit ab armis.
Haec ubi; non ultra Marcellus verba; ſed altis
Erumpit portis et Mincia flumina viſit.
Haud mora, declives, (vada qua minus ardua) ripas,
Erigit, et ſubita ſtatione coronat agreſtûm.
Bergomon hinc ſcriptis, et te fidisſima firmat
Brixia, porro diu reſidem deducit et armat
Benaci clasſem, belli monumenta prioris,
Egregie iſta quidem; verum conſultius illud,
Quod miſera elapſos cernens de clade, rapinis
Omnia foedantes (ſic impellebat egeſtas.)

Primum compreſſit, poſt et collegit, et aptas
Sparſit in excubias, parco prius aere refectos.
Tum demum ad Paridis natos, (Paris ipſe jacebat
Iam dudum tumulo,) per ſaxa aſperrima ſolus
Currit, et offendens hoſtilibus ante venenis
Infectos, rigidis miſcendo blanda reducit,
Commemorans, Paridem ſibi quod conſenſerit olim,
Factum de tenui demum latrone potentem.
Illum ſaepe ſuis defenſum viribus, illi
Aequoreas ſeſe ſcopulis traxiſſe carinas.
Ipſos patrono, minus haud debere, paterno
Fidere; qui nullum fictis ſeducere verbis
Noverit aut ſoleat, cui praeſtita gratia nunquam
Par rediit, magno ſed vicit foenore ſortem.
Multa prius Venetos Fortunae vulnera paſſos,
Attamen e nullo non emerſiſſe periclo.
His poſtquam juvenum, ſtabilivit corda, duorum,
Omnia nota facit patribus; quos anxia tanti
Attonitos caſus jam pridem cura tenebat.
Conſultant triſtes, jungunt nocturna diurnis

Tem-

Tempora; vota Deis faciunt; via nulla ſalutis
Panditur, et ſenſus mala confudere ſagaces.
Marcelli lectis, multum recreata, tabellis
Pectora; nunc omnes ſemet damnare, quod unquam
Campo amovisſent hominem, qui viderit unus
Tam cito, quod multi longum reperire nequisſent.
Illum de Veneta ſolum esſe propagine, cujus
Aetheria membris infuderit arce Prometheus
Solertem radium, reliquis Epimethea patrem.
Proinde viro a cunctis dictandi ſumma poteſtas
Traditur, et totae bellorum ac pacis habenae.
Siccine mutatis, ſero reſipiſcere cives
Mentibus incipitis? cum plena ferentibus auris
Vela tument, docto praefertur nauta magiſtro.
Cum ratis extrema jam tempeſtate fatiſcit,
Tunc iterum ſpretae redduntur apluſtria dextrae.
Heus ubinam vobis paulio prius iſta voluntas,
Lucebat veſtris cum tota Inſubria flammis?

Mar-

Vulg. v. 2544. omnis. v. 2546. pro: quod, *quam*.

Marcellus, cui nunc permiſſa licentia rerum,
Nempe modo ſuſpectus erat. Nunquamne furentes
Condiſcent populi, non tollere cornua laetis?
Ancipiti nec ſorte fidem librare regentum?
Ille recuſatos, poſtquam cogente periclo,
Suſcepit faſces; capit opportuna locorum
Praeſidiis, rapido levior qua tranſitus hoſti;
Tum ſe ſubſidio venturum in tempore, moeſtis
Promittit ſociis; tolerent modo pauca fideli
Robore, mox pulſa rediturum nube ſerenum.
Nec Phaëthonteae citius fragmenta ruinae
Torvus reſtituit genitor, quam corpus in unum,
Agmina Marcellus ſparſa et lacerata redegit.
Rurſus jam campis acies, vibrantia rurſus
Stridenti vexilla noto. caligine coelum
Conditur, et virides, levis ungula, proterit herbas.
Sforcia, qui cunctis media in regione ſubactis,
Jam Cenomanorum caput obſidione premebat,
Contra ſtare videns, quos deſperare putabat,
Nec tantum Venetos cupiens evertere, quantum

De-

Desertos propriis Ligures submittere frenis,
Marcello jam, te liquidissime Mella, petenti,
Ecce repens nostrae pacalem mittit olivae
Implicitum vittis ramum; quod foedera victor
Affectet, ne forte metum, sed vota merendi
Censuerint; se Marcicolis bellasse coactum
Hac etiam tenus. id certo satis inde probari,
Quod prior a victis pacem roget, haud ita magno
Mercandam; illorum nil velle abscindere rebus;
Quae sua sunt, teneant, dum tantum non sua donet.
Id simul ad patres Marcellus rettulit, ingens
Confestim laeto sublatus murmure plausus.
Mutua tum tales sanxit concordia leges:
Quicquid post pugnam cepisset Sforcia proles,
Redderet, accepto, non parvi ponderis, auro.
Hadriaci, numis et millibus octo virorum
Auxilio sibi sint, soceri dum subjuget urbem.
Altera conducat neu pars, quos altera missos

Fe-

Vulg. v. 2586. Quam prior. v. 2588. donent.

Fecerit. His tandem bellum exitiabile pactis
Compositum, ac Venetis regnum terrestre retentum.
Haec ego de priscis Marcelli noscere gestis
Te volui; subiere quidem permulta relatu
Digna; sed haec tibimet praesens meminisse facultas.
Nam te Pannoniis, Heliconius ardor, ab oris,
Tempestate sub hac Italo jam invexerat orbi.
Nempe tenes, dux ut missis ex foedere turmis
Sforcigenae Marcellus iit. ut regis Hiberi,
Cui testamento legarat sceptra Philippus,
Agmina contrivit; pingvem tutantia Parmam
Agmina contrivit; Parmam servire volentem
Marcicolis, hosti jussit servire futuro.
Eruit ut Bembum, tetro de carcere, Petrum,
Concivem paullo ante suum, tunc vincla ferentem
Hostica; Marcello sic alter Culeo Petrus,
Culeo, quem gratum Servator Scipio sensit.
Nec plus Flaminium reduces coluere Quirites,
Graecia servitio quos illi emissa redemit,
Cum subitos avium stupuerunt Isthmia lapsus.

Scis

Scis non alterius quod capta Novaria ductu,
Nec trino fracti fuerint certamine Galli.
Scis Picininorum quod Sforcia fraude periſſet,
Marcelli hanc ſolers ni praevidiſſet acumen,
Nudaſſet ſincera fides. hinc ille parentem
Nunc etiam vocat, ac tantum debere fatetur,
Alcidae quantum Theſeus Acheronte reductus.
Conſiliis et multa hujus qui geſſerat olim,
Omnia tunc plane geſſit; ſeu longius alas
Spargeret, admoto, premeret ſeu moenia vallo.
Sed quamvis ipſos concors tam cura ligaſſet,
Quam nec Ledaeos, coeleſtia ſigna, Laconas,
Cum tamen id tacito mandaſſet curia juſſu,
Sforciadae extemplo Marcellus caſtra reliquit,
Officia anteferens privato publica vinclo.
Cauſa relinquendi, quod multas foedera contra,
Ille ſibi adſcierat, conducto milite, vires.
Nec de ſeceſſu tali vel proxima quicquam

Tur-

Vulg. v. 2627. jam. pro, *tam.*

Turba prius sensit Ligurum, vel Sforcia vafro
Vafrior Autolyco; rebus quam luce retectis,
Conspexit longe socios rutilare leones.
Haud aliter geminis, uno Nero callidus astu,
Imposuit Poenis, cursu cum praepete vectus,
Hunc abiens, illum veniens, eluderet hostem.
Tum juncti Ambrosidis Veneti, sed commoda serum
Nulla tulit foedus; quippe illos saevior arta
Obsidione fames, ambabus et addita pestis,
Libertate brevi, multa inter dura, potitos,
Asstrinxit tandem genero parere Philippi.
Fors et Marcicolas tenui solata lucello.
Nam parta, impensas bellorum, Crema resarsit,
Quam modo qui Marci primus sub jura vocarat,
Primus non unum rexit Marcellus in annum.
Verum nota tibi satis haec; sed notius illud,
His etiam; soceri quod cum vix Sforcius heros,
Sedisset solio, Venetorum Marte petitus,

Mar-

Vulg. v. 2642. arcta.

Marcelli egregia virtute recentibus esset,
Exactus regnis, si non rex inde Renatus,
Gaesiferis illum juvisset ab Alpe catervis;
Hinc opibus, terrae moderator Cosmus Hetruscae,
Cosmus divitiis Crasso contendere pollens,
Cosmus, cui tactu cedat Mida, Iupiter imbri.
Nunc vero Ausoniam pax instaurata per omnem,
Vulnificum ultrici vitiat rubigine ferrum.
Pro lituis citharae crepitant, et Lemnia rursus,
Ridendum Superis innectunt retia Martem.
Ipsa ego sepositis armorum, carmina, curis,
Vestra colo, et doctas inter strepo lenta sorores.
Dixit, et in tenuem Tritonia vanuit auram,
Ab Iove missa Deam subito nam sustulit arcu
Iris, et a duplici plus semita Numine fulsit,
Cum sol humentes adversa lampade nimbos,
Figeret, et paullum roraret nubilus aër.
Ast ego non alia rerum in caligine mansi,

Pythia

Vulg. v. 2655. Gessiferis.

Pythia quam vates, ubi corde recessit Apollo,
Non jam vox major, nec forma minacior illi,
Unus in ore color; positis stat vitta capillis;
Nec fata ante oculos ultra; fugit omne futurum,
Rursus homo est tantum; Sic demigrante Minerva,
Infusis stupui tenebris; cum plura vel ipsam
Ultro dicturam rerer, vel quaerere vellem.
Nunc age, tu nobis seclorum conscia Clio,
Subjice, Trojugenas inter celebrata Quirites,
Marcella ut Venetae domus admigraverit urbi.

Claudius armipotens triquetrae postquam arva subegit
Sicaniae, capta tum primum Arethuside terra,
Non prius Albanum fertur duxisse triumphum,
Nec Tiberim Poenos, etiamnum adiisse, timentem,
Sortilegos ultro quam consuluisse Palicos,
De patriae fatis; qui praelia tanta maneret
Eventus; mansura patri si regna Quirino,
Iupiter et Phrygiae sponderent pignora Vestae.
Quae se, quae seros tandem fortuna nepotes
Exciperet; Tacita, sciturus talia, noctu,

To

Te, Symaethe, petit, pigri qua sulfure tetro
Crateres fumant, ac non mergentia campos
Stagna recasuras suspendunt turgida lymphas.
Stat sacer horror aquis, et caligantia supra
Terga, infernarum patet orbita nigra rotarum.
A Styge principium lacubus non fabula donat,
Sed manifesta fides; testatos nemo fefellit
Hic impune Deos; et descendente tabella,
Non exoratas, subeunt perjuria, poenas.
Haud procul hinc templum; medio ara uberrima templo,
Surgit, et omnigenûm reddit donaria frugum
Fratribus Aetnaeis, partu quos terra novello,
Invita superas, Iunone refudit, ad auras.
Hac tunc aede ducem Latium responsa petentem,
Pellibus et stratis infusum membra, ligavit
Sacra quies; cum sic gemini per somnia vates:
  Trinacriae domitor, qui pilis gaesa retundens,
Tertia Romuleo suspendis opima Tonanti,

In-

Vulg. v. 2691. Simete. v. 2707. gesta.

Invicti qui terga vides fugientia primus,
Ductoris Libyes; et postmodo saepe videbis.
Quod tibi si diras silvarum evadere detur
Insidias, Latiis tractum non alter ab oris,
Fuderit hunc pugna, nec Elissae fregerit arces.
Multa quidem restant terris discrimina et alto,
Victa tamen vobis pendet Carthago tributum.
Exitus hic rerum. mox tertia deinde rebelli
Arma levans fastu, planis aequabitur arvis.
Fusca tuae tantum nec serviet Africa Romae,
Huic famulaturus late promittitur orbis,
Aequore qua prodit, qua conditur aequore Titan,
Arctoos aeterna premit qua bruma Triones,
Aestiferae contra vel qua perit umbra Syenes.
Hic tua progenies nunquam non celsa tenebit
Culmina, dum summas mundi contingat habenas.
Sed quoniam humani quicquid struxere labores,
Subjacet excidio; Martis licet urbe, futurum
Sit nihil astriferi majus sub tegmine coeli,
Secula succedent, quibus illi armata potestas

Con-

Concidat, ac folum tituli jam fervet honorem;
Religione tamen princeps fine fine manebit,
Nec mortale genus, dum fidera proferet aether,
Unquam feptenas venerari definet arces,
Quamvis Barbarico calcandas faepe tumultu.
Imperio aft aliam nebit Clotho afpera fedem;
Nec fecus ex Italis confurget Roma ruinis
Altera, deletae quam veftra e funere Trojae.
Altera Dardaniis fed et haec habitanda colonis.
Eft locus in Venetis, Altini litora contra,
Aequoribus, Rivum, rudis accola nominat, altum;
Quis credat? fati fortem locus ille fecundi
Tarpejum poft culmen habet. Ne temne quod illic
Apricos hodie cernas confidere mergos,
Ludere vel fulicas, vel lina madentia pandi.
Nunc ubi rara teges male farta paluftribus ulvis,
Flante labat zephyro, venturi menfibus aevi,
Aurea marmoreis, fulgebunt templa, columnis.

Quip-

Vulg. v. 2733. calcatas

Quippe aderit centena iterum trieteride ducta,
Bis denis ſuper haec triplicatis mesſibus, aetas;
Cum trux Sarmatico decurrens Chunus ab Hiſtro,
Hadriaci cunctas vaſtabit litoris urbes.
Tunc Aquileja cadet, nec non Altina jacebunt
Tecta, et cognatae vobis Antenoris arces.
Aſt everſa fuga linquentes oppida cives,
Non longinqua petent, ſed primo in margine ponti,
Haud procul a terra communi in ſede coibunt.
Convena ceu veſtrum repleret coetus aſylum,
Haec niſi quod nullos admittent ſepta nocentes.
Exin paullatim numero creſcente colentum
Tectorum accreſcet numerus; civilia donec
Iura ſibi ſtatuant, ac vera ſit urbis imago.
Hnc tandem ex omni tellure immenſa volabunt
Agmina, tranquilli quaerentum tuta recesſus.
Huc et veſtra domus, Parcarum ſtamine, ſeſe
Transferet, ac patriae ſugiens adverſa prioris,

Quat-

Vulg. v. 2749. Hunnus, vel Hunus.

Quattuor implebit pretioſo pondere naves,
Quis delata freto, duros appellet ad Hiſtros,
Inde accita novae ſocium moderamen ad urbis,
Inter Patricios ſcribetur prima regentes.
Nec jam accedentem capiet brevis inſula turbam;
Augeſcent miram, ſola ſed nativa, per artem,
Lignea dum pelago, moles fundata, ſub imo,
Sternitur, et dorſo, lapidum ſuſtentat acervos.
Neve operum fabricas tumido mare proluat aeſtu,
Praetenta excludent venientes brachia fluctus,
Aggeribus longis, quibus impingente procella,
Nereus innocuas, retro dabit irritus, undas.
Nil ibi naſcetur, niſi ſi quid procreat humor,
Sed tamen uberius, quam quis naſcuntur in arvis
Omnia abundabunt. ſic illuc cuncta ferentur
Partibus a cunctis, patulo ſubvecta profundo.
Scilicet immenſi poſtquam ad commercia mundi,
Immiſit mediis late ſua caerula terris,

Hoc

Vulg. v. 2778. quae pro *quis*.

Hoc pariter jam nunc Neptunus providet, ut sint
Qui maris imperium stabili ditione gubernent,
Quo natura parens, velut in communia mittat
Horrea, diversis quicquid producit in oris;
Unde petant omnes, vitae quod postulat usus.
Nulla locum cingent, rigidae Lacedaemonos instar,
Moenia; murus erunt nunquam penetrabilis, illi,
Stagna per obliquos varie intersecta canales,
Quae nec Titanes valeant transcendere, nedum
Porsena, vel Brennus, Tyrio vel Hamilcare natus.
Ausi olim propius, Genua pugnace creati,
Ostentare rates; omni cum classe peribunt,
Ostia qua crassis stagnant Athesina lacunis.
Quid nunc jura tibi memorem, quid facta virorum?
Quid spatium regni? totum non ulla per orbem
Publica res tantum forma durabit in una.
Nec modo rex illam, modo consul, et inde tribunus,
Dictatorve reget; primo quae coeperit ortu,

Sta-

Vulg. v. 2795. quae pro qua.

Stabit in aeternum ſeries; Diſcordia demens
Dividuam nullis ſcindet ſeceſſibus urbem,
Ut vel Aventinum, vel ſacri culmina montis
Occupet a domino plebes avulſa ſenatu.
Corporis unanimi, ceu mundi lege meantis,
Unus erit praeſes; verum non una poteſtas.
Aequa ſorte ſibi pariter dum conſulit omnis
Nobilitas; at non imi faex ſordida vulgi
Polluet excelſas humili ſesſore curules.
Praelia multa gerent, juſtis tamen omnia cauſis.
Illorum vires Syrio de litore pulſus,
Formidabit Arabs. Illis ſervantibus, omnis
Graecia Barbaricae ſubducet colla catenae.
Illi Dalmaticis ſpoliabunt urbibus acres
Pannonios; Cretam frangent ter Marte rebellem,
Sed majore nihil, per gentes laude canetur,
Quam pia pro veſtro quod bella Antiſtite ſument,
Quem Vaticanae profugum de ſede cathedrae,

Nec

Vulg. v. 2818. Vaticanæ quem tunc.

Nec tutas usquam latebras reperire valentem,
Hospitio excipient, ac terrae Principe victo,
Clavibus aetheriis rerum moderamina reddent.
Sola diu contra Genuae trucis aspera pubes,
De pelagi regno certabit viribus aequis;
In proprio donec portu superata, quiescet.
Tum demum Venetos metuet Tartessia quicquid
Ora vomunt; euro quicquid perflatur et austro,
Quicquid Bosporiae fundunt a vertice fauces.
Grandis et in solida manet hos tellure potestas,
Nec populo cuiquam tantum crevisse tot annis,
Contigerit. Prope sex bellastis secla Quirites,
Necdum tota subest Latiis Oenotria pilis;
Vestrorum virtus proavos transgressa nepotum,
Intra dena sibi subiget quinquennia magnam
Italiae partem; quantum Phaëthontius amnis
Claudit, et extremos, juga despectantia, Carnos.
Tanta urbi invictae claris de stirpibus orti,

In

Vulg. v. 2825. Tartesia.

Incrementa dabunt, Romano a ſangvine cives.
Quos tua poſteritas, meritis ingentibus omnes
Anteibit longe; titulis laetare tuorum.
Surget ibi, dux ſumme, tuis ex osſibus, alter
Marcellus, qui facta ſuis tua tranſeat actis.
Quinos tu conſul, geminos, pro conſule, faſces
Accipies; illum totidem vix tempora cernent
Privatum, quoties repetent tua nomina faſti.
Nola tibi ſervata fuit; ſervabitur illi
Brixia; quot te annis lasſarunt orta Corintho
Moenia; Veronam tot lucibus ille reſumet.
Qualem tu Hannibalem docuiſti cedere primus,
Talem ille ante omnes Picininum cedere coget.
Virdumari torquem tu victor et arma tuliſti,
Obſesſum in patria leto dabit ille Philippum.
Ars ſenis unius pelago tua vela removit,
Illius ingenium ſiccas vehet ardua clasſes
Per juga. Tu ſuperas homines, hominumve labores,

Na-

Vulg. v. 2850. Vitromari.

Naturae indomitum permolliet ille rigorem.
Te duce Poenus atrox en veſtra palatia terret,
Ille ſua hoſtiles pulſabit cuſpide muros.
Cum tot collegis tu vix et parta tueris;
Omnia quae veterum fuerint quaeſita triumphis,
Unicus ille ſuis, aut jam deperdita rurſus
Aſſeret, aut medio praeſtabit tuta periclo.
Inſuper antiquis tantundem finibus addet.
Ergo fatalis numeri compage ſoluta,
Mortalis vitae fragilem cum liquerit umbram,
Non poenale chaos, tenebris nec denſa ſubibit
Tartara; coeleſtem ſcandet novus indiges aulam;
Inter et aſtrorum coetus conviva recumbet,
Perpetui ſenium pulſurus nectaris hauſtu,
Qua pater Alcides uxoria pocula ſiccat;
Qua Perſeus et Liber, et inclyta germina Ledae,
Qua reſidet veſter, Veneris cum prole, Quirinus.

Vulg. v. 2871. veſtrae.

IANI PANNONII

(III.) *Carmen pro pacanda Italia, ad Imp. Caeſ. Fridericum III.*

(*Carmen hoc ſcripſit auctor paene puer, utpote natus annos non magis decem et ſex.*)

Induperatorum decus, et ſublime ruentis
Auſoniae, ſalve, columen! ſalve inclyte Caeſar!
Salve cura Deûm! ſalve caput Urbis et orbis!
Quem nondum noſtri curam dimittere mundi,
Sidera noſtra dolent, et lividus ingemit aether,
Oenotrias, Friderice, venis optatus ad urbes.
Te, per gramineos ſaltus, et vallibus imis
Leniter exiguo ſerpentes murmure rivi,
Et liquidi fontes, et flumina glauca vocabant.
Te, cum frondiferis montana cacumina ſilvis,
Et freta, quae Heſperias claudunt circumflua gentes,

Te, cum ſupplicibus clamabant oppida muris.
Credo equidem, te ſancta Deûm, mortalibus aegris,
Numina, terrenos tandem miſerata labores,
Demiſisſe polo, fruſtra retinentibus aſtris.
In quo per numeros virtus ſe effunderet omnes,
Per quem pax totum floreret laeta per orbem;
Et violenta ſuos ſedarent bella tumultus.
Per quem Caeſareum tranſcenderet aethera nomen,
Et recidiva novos ſpectaret Roma triumphos.
Cujus et auxilio ſauctae veneranda poteſtas,
Creſceret Eccleſiae; quem mox reparanda maneret,
Quae quondam maduit divino ſangvine tellus.
Per quem Barbaries ſacris operata profanis,
Inciperet verum templis asſcribere Numen.
Nec ſecus eveniet: dudum te coelifer Atlas,
Te dudum trepidis ſubmisſus collibus horret
Caucaſus, et prona declinat rupe cacumen.
Te Tanais gemini dirimens confinia mundi,
Te tremit amisſum deplorans Nilus Oſirin.
Nec proferre ſolo pavidum caput anxius audet.

Tigris, et Aonios reminiſcitur India thyrſos.
Quare age Romanae ſub priſtina vincla catenae,
Barbara colla reduc; indicere bella profanis
Incipias populis, et totis viribus almam
Propagare fidem. praeſens Fortuna favebit,
Et pater omnipotens; ingentibus annuet orſis.
Parce tuam mentem privatis angere curis,
Parce, et ſublimes animos ſuper aethera tolle.
Romulidas veteres imitare potentibus armis.
Omnes qui priſcis Romam tenuere ſub annis,
Curavere aliquos Romano adjungere ſemper
Imperio populos. Hic oppida Graja ſubegit;
Huic dedit inſignem pubes Germana triumphum,
Aegyptuſque nocens, diveſque Britannia lucis.
Eſt qui bellaces, juga ferre coëgit Hiberos.
Eſt qui foedifragos, Gallis cum fortibus, Afros
Perdomuit; Parthos alius compeſcuit arcus,
Alter Hyperboreo Dacos ſubmovit ab Hiſtro.
Hos oculis propone tuis, hos lumine mentis
Contemplare duces; vel te fera bella vocabunt,

Vel ſecura quies tranquilla pace fovebit,
Hos praeceptores regali delige vitae.
Hos imitans claris ſtudeas praecellere factis.
Quid pateris gentes, falſae quas impius error
Relligionis habet, noſtrum crudelibus armis
Impugnare Deum? Pudeat te maxime Caeſar,
Claudier anguſto Romanos limite fines,
Hos, quibus occaſus prius haud ſuffecit et ortus,
Et gens, quam calido, torquet plaga ſubdita, Cancro,
Quam glaciale premit ſidus Stymphalidos urſae.
Quid pateris dominae quondam, tecta aurea, Romae,
Nunc fractae, veteres tantum oſtentare ruinas,
Et reſupinatis, proavita cadavera, buſtis,
Qualis erat Trojae facies Priameïdos olim?
Nam ſimul Argivis fumarunt eruta flammis
Pergama, et innumeros jacuere everſa per annos,
Tum ſitus incepit pronis increſcere muris,
Et deſolatas implerunt gramina foſſas.

Mag-

Vulg. v. 60 gelido. v. 63. fractas.

Magnorum heroum ruptis disjecta ſepulcris
Oſſa per incultos albebant ſqualida campos.
Iam rimoſa cavas prodebant ſaxa latebras.
Laomedonteum laxa compage cadaver,
Vix tumulus cohibebat hians. Hic Cynthius, hic Tros,
Hic flebat nudus marcentem Dardanus urnam.
Iam Paridis monumenta ſolo convulſa jacebant,
Iam levis Hectoreum cinerem diſperſerat auſter.
Talem nunc ſtratis Romanam moenibus urbem
Asſpicimus, ſola molem teſtante ruina.
Huic ſtrue ſublimes peregrino marmore muros,
Et cum Roma tuis opibus renovata reſurget,
Arma para populos expugnatura rebelles.
Sed prius Italicis optatam redde quietem
Urbibus ante omnes, unum hoc curare paratus
Eſto memor. pacem colles et robora clamant,
Pacem ſtagna, lacus, pacem fera ſaxa loquuntur.
Ne te crede meis aures adhibere querelis,

Nec

v. 85. pro Eſto, forte leg. *Atque.*

Nec noſtras audire preces; has pectore moeſto,
Ipſius Italiae voces manare putato.
Conſpicuam auguſta regalis imagine formae
Matronam, pullo corpus velamine tectam
Finge videre oculis; paſſo quae inculta capillo,
Et ſtantes laniata ſinus, contuſa lacertos,
Nec non turrigera frontem praecincta corona,
Sed male ſemirutas ſuſtentans vertice turres,
Ante tuos recubare pedes videatur, et aegro
Fulta caput cubito, terra vix colla levare,
Et gaudere, ſuas primum quod adiveris oras;
Mox ſingultatas eructans pectore voces,
Ingentem gravibus gemitum miſcere querelis.
Ergo his incipiens ſermonibus ora reſolvet:
Cum niger ante meos numeraret calculus annos,
Tandem ſe nobis niveo ſignanda lapillo,
Obtulit una dies, qua te, clariſſime Caeſar,
Conſpicio demum noſtras inviſere terras.

Hoc

v. 92. forte leg. paſſos - capillos.

Hoc erat, hoc votis tempus quod mille petebam.
Saepe ſacrata Deûm lacrymis asſperſimus ora,
Duximus auratos ſaepe ad delubra juvencos,
Adventus orando tuos; et ſupplice flamma,
Tura ſuper tepidis Eoa cremavimus aris.
In te noſtra ſalus, in te ſpes unica pacis
Pendet, et eſt toto terrarum nullus in orbe,
Qui plagis medicare meis, qui damna levare,
Te queat excepto. Nos perdere ſolus, et idem
Conſervare potes; noſtrae, Fortuna, ſalutis,
Te noſtrae facit esſe necis, Fortuna, potentem.
Perdere posſe ſat eſt, potius ſervare labores.
Quo magis in celſa, te Numina, ſede locarunt,
Hoc te plus mitem miſeris praeſtare memento.
Hanc Deus ob cauſam reges ſtatuisſe ſuperbos
Traditur, et terris ſuperimpoſuisſe regendis;
In primis caveant, ne cedat viribus aequum,
Ne quis ob invidiam manibus violetur iniquis,

Im-

v. 113. forte leg. plagas - meas.

Imbellem vexare potens, opulentus egenum,
Occultis lactare dolis et fraudibus auſit.
Ut bene cuncta ſuo tueantur ſubdita regno,
Bella procul pellant, populos in pace gubernent,
Civibus aequa ſuis ſapienter jura miniſtrent.
Ergo age, quandoquidem tantum potes, optime regum,
Omnis ut infelix te patrem mundus adoret,
Da requiem miſerae; Martem compeſce cruentum;
Eripe quod ſupereſt, letalibus eripe bellis.
Haec et erunt terris, et erunt gratisſima coelo.
His poteris magnum tibi conciliare Tonantem.
His poteris faciles meritis tibi jungere Divos.
Quos nullum juſtas adeo compellit in iras
Crimen, ut humanae curſum praecidere vitae.
Quos non ulla ſolent adeo benefacta ſecundos
Reddere, ut inſtantis nigrum producere Parcae
Stamen, et immerito ſubiturum funere manes
Conſervare hominem; cum ſit pretioſius unum
Hoc cunctis animal, cum ſit Coeleſtibus ipſis
Carius, et ſacram deducat ab aethere mentem.

Quin

Quin etiam veterum perhibent monumenta virorum,
Hunc apud antiquos morem viguiſſe Quirites,
Cujus Romanum ſervaſſet dextera civem,
Tempora vitali gereret circundata quercu;
At per quem fuſi cecidiſſent fortiter hoſtes,
Millia qui Stygias, miſiſſet quina, ſub umbras,
Alta triumphali peteret Capitolia pompa.
Quodſi tunc tantus civem ſervantibus unum,
Praeſtabatur honos, multoſve necantibus hoſtes;
Quae tibi laus poterit, quae gratia digna rependi,
Qui tot ſupremam ſolus promoveris horam
Gentibus? e medio qui tot revocaveris Orco,
Ereptos fatis homines? Tu mille triumphos,
Tu totidem laurus, tu mille merebere quercus.
Cum venias noſtras felix ac laetus ad urbes,
Et veneranda ſacras initurus foedera taedas,
Fac ne moeſta tuis occurrere cogar ocellis;
Sic avibus celebres jus connubiale ſecundis,
Semper amica tuis faveant ſic Numina votis,

Et te prole beent, totum quae ſubjuget orbem,
Accumuletque tuos geſtis majoribus actus.
Sic felix regnes, ſic te per ſecula reddant,
Prudentem Phoebus, facundum Pliade natus,
Conſilio Pallas, Mars fortibus adjuvet armis,
Sceptriger aeternum Saturnius omine fauſto
Augeat imperium; quod terminet auſter et horrens
Cum zephyro boreas, quod lutea finiat Eos.
Tempora dum numero, dum res ab origine prima,
Saepe meas repeto; bis dena revolvitur aetas,
Et bis millenos exegit Cynthius orbes,
Ex quo vix ullam potui ſentire quietem,
Aſſidui ſaevo Martis lacerata furore.
Me miſeram quanta trepidat formidine pectus,
Dum veteres caſus, dum funera priſca recordor!
Ut cum Romuleam radicitus excidit urbem,
Cruda manus Senonum, cum belliger horrida Pyrrhus,

Pro

Vulg. v. 163. qui pro *quae*. v. 166. Pleiade.

Pro Lacedaemonio Romanis arma Tarento
Intulit; Hispanis olim cum caedibus ardens
Hannibal oppositas perrupit turbidus Alpes,
Hannibal exitium populis fatale Latinis,
Hannibal Hesperium miles juratus in hostem.
Quid memorem strages, quas Cimbricus edidit ensis?
Quae mala pertulerim, quos sim perpessa labores,
Gotthica cum victam vastarunt agmina Romam?
Sed quid ego priscis lacrymas impendo ruinis?
Vix nova flere vacat; nobis hoc durius aevum
Extitit, et nullos tulimus graviora per annos.
Nec tamen, (ut pudeat mea me deplangere damna,)
Vulneribus nostris peregrinum ascribimus hostem.
Plus me barbaricis laesere domestica damnis.
Vulneris auctor ego; proprio male sana quid ultra
Confodior gladio? memet mea dextra, (nefandum!)
Dilaniat, noto rimantum viscera ferro.
En aliud civile nefas surrexit, et ecce!
In miseram rursus jurarunt pignora matrem.
Ac velut iratis in eodem corpore membris,

Et pedibus clunes, et dextrae laeva repugnet,
Dissideant nares oculis, et naribus aures,
Decertet cum ventre caput, cum pectore tergum;
Asspice quos Athesis, quos perfluit Addua campos,
Asspice cum Tuscis Picenas gentibus urbes,
Et quas possedit Calydonius advena terras,
Cuncta simul Mavorte fero quassata videbis.
Arsit humus bellis, bellis flagravit et aequor.
Adria navifrago metuendus gurgite, nuper
Vidit Aragoneas Venetis certare carinas,
Et facere infestum remis mare. vidit easdem
Urbs Alphea suos propter discurrere portus,
Et quam Tyrrhenus lambit, Populonia, gurges.
Damna Placentinae querar immanissima praedae?
Insubrisne prius miserer jejunia terrae?
Parthenope exactum deplangit prodita regem,
Ingemit angvigeris bis circumsessa catervis
Brixia; deplorat populatos Bergomon agros.
Urbs Venetûm saevo deletas igne triremes
Luget, et assiduis exhausta aeraria bellis.

Sin-

Singula quid refero? millena volumina noſtros
Vix capient caſus; nec ſat foret integer annus
Dicere, qui noſtris rubuere cruoribus amnes.
Ipſe potes praeſens mea detrimenta videre,
Ipſe potes cumulo deprendere cuncta ſub uno.
Nam bellis diverſa trahor, velut alnus in undis,
Quam fera tempeſtas, quam grandine turbidus atra
Iupiter, et nimbis et fulmine vexat hiulco,
Quam ventoſa premunt et toto flamina coelo;
Temonem zephyrus, remos niger abſtrahit eurus;
Antennas et vela ſimul rapit humidus auſter,
Subvertit malum boreas, et texta relaxat
Pinea, donec inops et ademtis debilis armis,
Fluctuet, et medium natet errabunda per aequor.
Ingenuae in parvis quod habentur honoribus artes,
Quod ceſſat Phoebea chelys, quod carmine rupto,
Aoniae ſiluere Deae; Mars impius egit.
Quae tamen ad noſtros ut te contendere greſſum
Accepere Lares, mentis formidine paullum

Sepofita, citharis refpiravere refumtis.
Quod fpretis audax Mufis petit arma juventus,
Et volucres premere audet equos; Mars impius egit.
Quod mea tam crebris albefcunt offibus arva,
Et raris funt culta cafis; Mars impius egit.
Quod cernis nullum deferta per oppida civem,
Nec campis errare greges; Mars impius egit.
Confpicis impulfas casfis quod turribus arces,
Et vacuas nutare domos; Mars impius egit.
Quod ligo, quod vomer, quod farcula, raftra, bidentes,
In gladios abiere truces; Mars impius egit.
Et quae me gravius fortuna gemifcere cogit,
Non alienigenas pafcit mea gaza latrones,
Sed latus in noftrum faevit vernaculus hoftis.
Quin velut una parum miferam difcrimina laedant,
Et quibus afficiar defint incommoda, peftem
Omnipotens genitor noftras commotus in urbes
Mifit ob infandas caedes, et bella cruenta.
Defunt ligna rogis, tumulis humus, ignibus aër,

Lo-

Letum omnes commune rapit, nec plebe fenatum,
Nec fera ruga viridem fecernit ephebum.
Hoc deerat; fimul ille aegram timor additus angit;
Cum me finitimis oppresfam viderit armis,
Et tot corrupto perpesfam funera coelo,
Barbara turba meos tentet ne invadere fines.
Nefcio quae ambiguae dudum mala murmura famae
Aucupor, ingentes jam pridem fentio motus.
O potius Iovis igne cremer, vel in aequora mergar!
Ne natis fim praeda meis, ne ut vipera foeto
Ventre tumens peream, ne me meus enecet enfis.
Quandoquidem Superis placuit me perdere iniquis,
Malo peregrino confosfa occumbere ferro.
In me vulnificas audax Hifpania fundas,
In me nigra fugax reflectat fpicula Parthus,
Me petat infeftis fatalis Gallia gaefis,
Me, me falce Getes fternat Mavortius; in me
Dirigat Eoas Macetum gens dura farisfas,

Me

v. 259. forte leg. Nec fera viridem ruga f. e. Vulg. v. 275. Macedum.

Me Numidae celeres, me Thrax, me concolor Indo
Invadat Maurus; in me fera Graecia vertat
Mille rates; in me decies centena virorum
Millia Perſis agat; quicquid complectitur Hiſter,
Et Nilus, quicquid populorum maximus orbis
Continet, in noſtrum veniat caput; una tot armis
Obruar, exſaturem crudeles ſangvine Divos,
Et tegar aeterno non ſurrectura ſepulcro.
Eſſe reor ſatius quamvis incurrere ſortem,
Dum ne gentilis fodiat mea guttura mucro.
Sed minimum mea vota valent; jam nota parantur
Tela meo jugulo; viden' ut conjurat in arma
Omne genus? viden' ut ſaevum, mare, terra minatur?
Infelixque ſuos nutrix formidat alumnos?
Hinc Genuenſe ſolum popularibus aeſtuat armis,
Seditioſa ſuos pavet inde Bononia cives.
Hinc Florentinas muris inſtare phalanges
Sena tremit, Venetos hinc terret Sforcius heros.

Ex-

Vulg. v. 283. minetur. v. 289 formidet. v. 293. Saeva.

Excidium populis crudele minatur Hetruſcis
Pugnaces in caſtra movens Alfonſus Hiberos.
Undique, ut Herculeae cervix rediviva colubrae,
Undique per gentes diſcordia pullulat amens.
Undique bella ſonant, fremit horridus undique Mavors,
Et clypeo fulgens, et casſidis igne coruſcus.
Hinc Pavor et Terror conſperſos ſangvine currus,
Et volucres moderatur equos. comitantur euntem
Inſidiae, ac praeceps cum caedibus Impetus atris,
Et caecus Furor, et Rabies germana Furoris.
Bellona armatas vocat ad certamina turmas,
Sangvineaque tuba reſonat lacrymabile ſignum.
Poſt hanc paciferae ſumto geſtamine olivae,
Pallas ſaxificos in pectore concutit angves.
Tiſiphone immitis Lethaeum egresſa barathrum,
Effera crinales ad ſibila concitat hydros,
Et rotat accenſam media inter millia taxum,
Asſidueque novas clades, caſusque recentes
Nuntiat, et crebros, iterat vaga Fama, timores.
Quem precer? aut quid agam? quonam mea lumina vertam?

Quos prius appellem? quos ſperem oſtendere rebus
Auxilium miſeranda meis? quae Numina clamem?
Te, quem ſidereo non Fors demiſit Olympo,
Sed bonus in noſtras juſſit deſcendere terras
Iupiter; his oro miſeram defende periclis,
Hos animo depelle metus, ac pace ſequeſtra,
Comprime ferales, princeps Auguſte, tumultus,
Comprime, et admota ſana mea vulnera dextra.
Fac, ne civilis Genuam diſſenſio turbet,
Expulſas revocet pacata Bononia partes,
Appulus Hetruſco, Veneto jungatur amicus
Inſuber, et longos olim manſura per annos,
Foedera percusſae, confirment ſangvine, porcae.
Et quos innumerae locupletavere rapinae,
Vis quibus et ferrum quaeſitos crimine cenſus
Auxit, et in praedam miſeri domus acta propinqui,
Ad posſesſores referant ablata vetuſtos.
Quin aliquis cultas, ſpoliare inſignibus aras

Sve-

Vulg. v. 314. offendere.

Svetus, et auratas Superis abradere veſtes,
Numina mactatis, ploret violata juvencis.
Et quae ſacrilego, manus abſtulit improba, furto,
Reſtituat. ſed ab his exemtus legibus eſto,
Si quis letiferum Marti ſubduxerit enſem.
Abjecta lentus requieſcat cuſpide miles,
Et faber agreſtem vertat thoracas in uſum,
In falcem redeat casſis criſtata recurvam,
Ruſtica de longo fiat mucrone ſecuris.
Et recluſa ferent Ianum delubra biformem.
Sic ego quae inſano pereundi ardore tenebar,
Et per barbaricos optabam incendier ignes,
Sanior in rectum, redigam mea vota, tenorem,
Nec deſiderium tam crudae mortis habebo,
Sic et ab externis manibus tutisſima vivam.
Tum pater omnipotens noſtro mala nubila coelo,
Pellet, et Oenotrias ſpectabit mitior oras,
Cum poſitos enſes, et conciliata videbit

Vulg. v. 333. violenta,

Oppida, ſic florens, ſic fortunata videbor,
Sic felix, ſic dives ero, ſic cuncta reſurgent,
Quae ferus armiſona proſtravit grandine Mavors.
Sic tandem incipient antiqua emergere jura,
Sic tandem incipient ſanctae reſipiſcere leges,
Quae primum lituos, quae claſsica rauca tremebant.
Tunc intermiſsis, cultus revocabitur, agris,
Tunc rumpent ſacrae, diuturna ſilentia, Muſae,
Et cantando tuos, Helicon ſudabit, honores.
Non ego, quod quondam ſeclo meliore tenebam,
Totius imperium terrae peto; dum modo pacem
Des miſerae, qualem ſub rege quieta Sabino
Roma, vel Auguſto vidit ſub Caeſare mundus.
Regna haud parva dabis. Laus te ventura movere
Debet, et aeternae pretium indelebile famae.
Quippe per extremas, late celebrabere, pacis
Largitor, gentes, et fulvi conditor aevi,
Et per cuncta tuum florebit ſecula nomen,

Dum

Vulg. v. 356. intermiſsus. v. 365 et 366. gentes, Largitor pacis.

Dum volucres aër, dum pascet sidera coelum,
Gramine dum tellus, dum piscibus affluet aequor,
Dum pater Oceanus refugo circumfluet orbem
Gurgite; fraterno dum splendida sumet ab astro
Lumina, cornigerae sidus reparabile lunae.
Nunc igitur longis finem impositura querelis,
Me genibus commendo tuis, ad cuncta paratam
Jussa; vel Aetnaeos jubeas intrare caminos,
Accipe, et in cunctos comitem me assume paratus,
Accipe devotam sincero corde ministram.

(IV.) *Diomedis et Glauci Congressus. Locus ex Hom. Iliad. Z. a v. 119. sqq. Latino carmine redditus.*

Glaucus ac Hippolocho satus, et Tydeïus heros,
In medium coiere, manum conferre parati.
Ac jam collato propius se Marte petebant,
Cum prior ingenti Diomedes voce profatur:

Quisnam tu quaeſo mortali e ſtirpe virorum ?
Nam qui conſpicuo nunquam in certamine nobis
Antehac viſus eras, animis nunc grandibus omnes
Tranſiſti, noſtris auſus ſubſiſtere telis,
Occurrunt Genio quibus infelice creati.
Quodſi quis Divûm ſummo deſcendis Olympo,
Non ego coelicolis optem contendere pugna.
Nam nec magnanimi proles violenta *Dryantis*,
Evaluit ſuperesſe diu, dum Numina contra
Bella gerit; madidi nutrices ilie Lyaei,
Egit praecipiti juga per Nysſeïa curſu.
Illae in humum thyrſos pasſim ſudere virentes,
Verbera ſangvinei fugiunt dum ſaeva Lycurgi.
Ipſe etiam in fluctus ſaliit conterritus Evan.
Quem Thetis humenti gremio miſerata recepit,
Quippe Deum, turbante viro, metus acer habebat.
Inde dolor, facilem ducentia Numina vitam
Aſperat, et viſum miſero Saturnius aufert,

Nec

Vulg. v. 15. Nyſaeia.

Nec longo, infenfus Divis poft, tempore vixit.
Haud igitur cupiam cuiquam certare Deorum.
Sin hominum ex numero es, terrae qui munera carpunt,
Accede, ut Leti quamprimum limina tangas.
Tum contra Hippolochi fic excipit inclyta proles:
Quid genus exquiris, fate fangvine Tydeos alti?
Quale genus foliis, tale et mortalibus aegris.
Nam folia haec rapiens fternit notus; illa comantes
Producunt filvae, frondofi tempore veris.
Haud aliter foboles, viget haec, nunc illa, virorum.
Quod fi tantus amor ftirpem tibi nofcere noftram;
(Quam tamen innumerae gentes novere per orbem,)
Urbs eft Argolicas Ephyre inter condita fauces;

* *

Sifyphus Aeolides, quo Glaucus patre creatur,
At Glauci magnus de femine Bellerophontes

Na-

Verfus 36. excidit, qui apud Homerum fic habet:

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν;

et verti posset hoc modo:

Sifyphus hic alios erat ante vaferrimus omnes. A. K.

Nascitur, huic laetos Superi virtutis honores
Afflarant; sed Proetus ei mala mente movebat;
Donec longe opibus pollentior ejicit Argis,
Ipsius quos tum sceptris subjecerat altus
Iupiter; at duri conjux Antia tyranni,
Ardebat dulci juvenem cognoscere furto,
Sed procul illecebras turpes mens casta refugit.
Illa haec ad regem fatur mendacia Proetum:
Ipse cadas; Glauco genitum vel, Proete, necato;
Invitam qui me stupro violare paravit.
His rex auditis tacitas exarsit in iras,
Sed juvenem veritus manifesto perdere leto,
Ad Lycias mittit scriptis cum tristibus oras,
Impia signatis perarans arcana tabellis.
Callidus has socero periturum ostendere mandat.
Ille Deûm ductu Lyciam meliore petivit,
Quam tandem et Xanthi postquam pervenit ad undas;
Exhibet huic magnos Lyciae regnator honores,
Ter trinis totidem mactans armenta diebus;
Ut decima effulsit digitis rubicantibus Eos,

Tunc

Tunc edi mandata rogat, tum cernere poscit,
Si qua sibi a genero portetur epistola Proeto.
Ergo notas postquam generi percepit iniquas,
Indomitam primum jubet expugnare Chimaeram.
Bellua non hominum, sed erat genus illa Deorum,
Ante leo, capra in medio, pone horridus angvis,
Turbida flagrantis spirans incendia flammae;
Sed tamen hanc stravit Divûm portenta secutus.
Congreditur Solymis illustribus inde, nec unquam
Acrius hoc sese certamen inisse ferebat.
Tertio Amazonias fundit discrimine turmas;
Huic reduci alterius fraudis tentamina texit.
Quippe legens Lyciae fortissima corpora pubis,
Collocat insidias; quos omnes perculit heros
Glauciades, patriae nec quenquam ad tecta remisit.
Ut tandem agnovit divina e stirpe creatum,
Detinuit secum, natae connubia pactus,
Cum qua dimidium regni partitur honorem;

Dant

v. 70. forte leg. Hinc.

Dant ſimul et Lyciae gentes, quem percolat agrum,
Arboribus longe laetum, et felicibus arvis.
Illa parit magno tria pignora Bellerophonti;
Iſandrum, ſimul Hippolochum, ſed tertia proles
Laodamia fuit; ſummo quae juncta Tonanti,
Belligerum ſacro fudit Sarpedona partu.
At poſtquam huic etiam ſuccenſuit ira Deorum,
Arva pererrabat comitatus Aleïa nullo,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.
Iſandrum aſt illi, miſerando funere, natum,
Trux perimit Mavors, Solymis dum praelia miſcet.
Hanc irata ſuis figit Dictynna ſagittis.
Hippolochi vero me dico e ſemine cretum.
Qui dum me patriis ad Trojam mitteret oris,
Fortibus ante alios monuit clareſcere factis,
Nomina magnorum nec dedecorare parentum,
Quos Lyciae terra ampla tulit, tulit alta Corinthus.
Tanti ſublimem generis me gloria tollit!
Talibus exultat Tydides acer et haſta
In terram fixa, dictis ita fatur amicis:

Du-

Dudum equidem nobis patrius cognofceris hofpes,
Egregium Hippolochi patrem nam maximus olim,
Hofpitio tenuit bis denis lucibus Oeneus;
Mutua quin etiam tribuerunt dona vicisfim,
Oeneus puniceo fulgentem murice balteum,
Infignem fulvo pateram dedit ille metallo.
Hanc ego digrediens intra mea tecta reliqui,
Tydeos haud memini. Nam me pater optime parvum
Deferis, ad Thebas periit cum Graja juventus.
Hinc ego fum mediis hofpes tibi fidus in Argis,
Tu contra in Lycia; quando hanc peregrinus adibo.
Ergo etiam turba ferro abftineamus in ipfa.
Multi nam Troum, fociorum ex agmine multi,
Quos mactem, tantum Deus offerat, et pede prendam.
Nec tibi quem perimas, posfis modo, defit Achivus.
Arma fed inter nos jam commutemus, ut omnes
Hofpitiis junctos norint gaudere vetuftis.

Sic fati, extemplo faliunt e curribus altis,

Ac

Vulg. v. 104. hanc, pro haud.

Ac dextras tangunt, et pacis foedera firmant.
Sustulit hic mentem Glauco Saturnia proles,
Qui cum Tydide permutans arma feroci,
Aerea susciperet bobus vix digna novenis,
Aurea, centenos daret ipse valentia tauros.

(V.) *Carmen ad Ludovicum Gonzagam, Principem Mantuanum.*

O Lacedaemonios, et quos Actaea creavit
Quondam terra duces, o barbara nomina regum,
Laudibus, et magnos titulis transgresse Quirites,
Immortale decus sobolis, Ludovice, vetustae!
Quis Superûm tantas nobis in carmine vires
Fundet, ut ore tuas valeam percurrere laudes?
Magna fuere quidem proavorum gesta tuorum,
Inclyta quae totum decantat fama per orbem,

v. 5. forte leg. in carmina.

At proavita tuis cedunt virtutibus acta,
Nec te praeclarum titulis ingentibus ornant,
Luna ſed ut radios fraterno ab ſidere ſumit,
Sic praeluſtre tuo capiunt de nomine nomen.
Sic Cato, ſic Fabius, Pompejus, Scipio, Caeſar,
Praeteriere ſuos. Nec facta domeſtica tantum,
Sed cunctos virtute duces, quos noſtra tulerunt
Secula, praecellis; tuus inter cetera ſplendor
Eminet, et nullum ſinit eluceſcere nomen.
Cuncta tuis proprium perdunt collata nitorem.
Sicut ab Eoïs cum ſol jubar exerit undis,
Obſcurata ſuam non ſervant ſidera lucem.
Quis melior genitore tuo, quis pace vel armis
Clarior effulſit? tamen abs te vincitur uno.
Hectore ſic Priamus minor eſt, ſic Neſtore Neleus,
Oenea ſic Tydeus, ſic fortis Agenora Cadmus,
Amphitryona ſuum vincit Tirynthius heros.
Sic Ajax Telamona premit, ſic laude Philippum
Fertur Alexander ſuperaſſe, Philippus Amyntan.
In genitore tuo viguit cultura ſeverae

Maxima juſtitiae ; dignas exſolvere norat
Mercedes rectis, norat punire nocentes;
Te nec Ariſtides, nec te hac virtute Zaleucus
Exuperare queant, Grajae nec plurima gentis
Nomina, quae veterum celebrant monumenta virorum.
Mirandum innotuit divinae mentis acumen
In genitore tuo ; ſaepe ut ventura videre
Posſet, et innumeris praediceret ante diebus;
Te velut Hammonem, Dodonaeaſve columbas,
Delphica vel populis cantantem oracula Phoebum,
Secula noſtra colunt, celebrant, venerantur, adorant.
Quis genitore tuo moderatior extitit? aut quis
Calliditate prior? quis munificentior alter?
Edere magnificos norat pro tempore ſumtus,
Semper eum ſummam Fortuna vehebat ad arcem,
Sed minus elatum ſemper reddebat; amicis
Officioſus erat; devictum mitis in hoſtem,
Corpore formoſus, maturus pectore, vita
Integer, alloquio facilis, gravitate verendus,
Religione pius, conſtans in rebus agendis,

Tardus ad offenſas, veniam concedere velox.
Sed tamen his cunctis ſuperatur laudibus abs te;
Quantum feminibus reliquis ſublimior aether,
Quantum Roma parens reliquas ſupereminet urbes,
Cetera vel quantum praefulgens Lucifer aſtra,
Luciferum Phoebe, Phoeben ſplendore coruſcus
Sol premit; Oceano quantum vaga flumina cedunt.
Iulius a Phrygio ſurgat demisſus Iülo,
Surgat Alexander, ſuperas revocetur ad auras
Flavius, undecimus qui dicitur ordine Caeſar;
Nec te muneribus, nec manſvetudine vincet.
Quid tua dona loquar? quo nunc ego carmine laudem,
Transmisſum noſtro nuper regale Guarino,
Et vere dignum Ludovico Principe munus?
Non adeo nobis praeſens asſpirat Apollo,
Ut tantis dignas meritis perſolvere grates
Evaleam. Faveant, ductor celeberrime, votis,
Numina cuncta tuis; et te fera bella gerentem
Adjuvet armipotens, dextra cum Pallade, Mavors!
Legimus Actaeum quondam ceciniſse Platonem,

Hanc fore felicem prae cunctis urbibus urbem,
Principe quam docto facilis Fortuna beasſet,
Vel doctos adamante viros; nunc ſorte ſecunda,
Tale Bianoream Fortunae contigit urbem
Munus, ut et docto ſub Principe dives ovaret,
Et doctos adamante viros; nam teque tuumque
Pierides ſemper delectavere parentem.
Quippe virentis adhuc primaevo in flore juventae,
Diceris ad ſacras mentem applicuiſſe Camenas;
Quae Victorini monitis imbuta magiſtri,
Ut primum noſtras ſtudioſius hauſerat artes,
Edidicit Grajas; gaudere, vir inclyte, tanto
Praeceptore potes; celebrat quem fama per omnem
Auſoniam; ſed plus te Victorinus honoris
Diſcipulo praeceptor habet; non infima laus eſt,
Tam celebrem docuiſſe virum, quo nulla tulerunt
Secula majorem, nec poſtera proferet aetas.
Cujus Hyperborei laudes canit accola Rheni,
Quem virtute ſua mediae plaga fervida zonae
Novit; in Oceano poſiti novere Britanni;

Et

Et matutino, quae ſubjacet India, Phoebo.
Ingenuas Verus vero cognomine Caeſar,
Traditur a priſcis coluiſſe Aurelius artes,
Ac praeceptores ſtatuis decoraſſe ſuperbis,
Et placaſſe pios, ut Divûm numina, manes.
Huic ego te merito doctrinae laudibus aequem.
Denique naturam reor hoc ſtatuiſſe parentem,
Scilicet ut ſacris aeternum dedita Muſis
Gens Gonzaga foret; cum non modo maſcula fundens
Pectora, quae doctis juvet invigilare libellis,
Caſtalidum ſimiles ſoleat generare puellas.
His manifeſta tuae praebent exempla *ſorores.*
Nunc ea praetereo validis quae geſſeris armis,
Vel quoniam nondum tantum mea carmina poſſunt,
Vel quia longa foret nobis mora dicere, nam vix
Sufficerent tantis centena volumina rebus.
Et tamen ut reliquis, quis pax, quis bella geruntur,
Haud minus hac magnùm ſuperas virtute parentem.
Ille licet Venetas ductarit ſaepius alas,
Et munita ſuis caſtella ſubegerit armis,

Aeternumque decus, ſummumque pararit honorem,
Cum Veronaeo defixit ſigna theatro.
At te bellantem Mavortius horruit Aſtor;
Et tandem ſpoliatus equo, ſpoliatus et armis,
Vix inhonora fuga vertit formidine terga;
Expavitque tuas ſtudioſa Bononia vires,
Cum populata ſuis viduares rura colonis,
Et circumſesſas vallares milite portas.
Te ſenſit Picenus ager, cum Marte ſecundo,
Capta ſupinatis vaſtares oppida muris,
Asſiſio primis direpta funditus armis.
Quid nunc commemorem, quas ingenioſa per artes
Bella geras? quo caſtra vaſer munimine firmes?
Quis circumventum ſeducas fraudibus hoſtem?
Qua pugnaturas horteris voce phalanges?
Ponendis primum loca ſumis idonea caſtris,
Ut victum tuto ſubvectet limite miles,
Praebeat ut viridis jumentis pabula tellus,

Sup.

Vulg. v. 113. fugae.

Suppeditans dulces, vivis cum fontibus, undas.
Mox circumducto claudantur ut agmina vallo,
Ut vallum lata praecingat foſſa corona
Efficis, et foſſam praeruptus muniat agger.
Proſpicis et tumulos ne callidus occupet hoſtis,
Neve intercipiat gelidos cum frugibus amnes,
Flumina neve malo temeret potanda veneno.
At cum ſomniferis ceſſit lux alma tenebris,
Et nox atra polum caligine texit opaca,
Senſim ſollicitos exploras providus hoſtes,
Excubias vigilare jubes; paretur, et omnes
Iudice te, gratum gaudent perferre laborem.
At cum pugna vocat, pro te vel ſidera certant,
Et tua deſcendens ad claſſica militat aether.
Nam concurſuras acuit Bellona cohortes,
Agmina Gorgoneis Pallas metuenda colubris
Inſtruit, et fortes certo locat ordine turmas.
Congreſſis animos, Gradivus, et arma miniſtrat.
Haec eadem tamen ipſe facis. quis doctius alter
Componat cuneos? Calles deprendere ſolers,

Quis magis expediat ſtatuendis claſſibus ordo.
Collibus, an planis aciem deſcendere campis
Praeſtet; quo laevum firmetur milite cornu,
Quae potius mediam defenſent agmina partem,
Quo frontem, quo terga modo, quo robore dextrum
Conveniat munire latus; quod ponere tutis,
Praeſidium caſtris; quos in ſtatione locare.
Mox crepitante tuba, cum ſtridulus inſonat aether,
Signaque collatis concurrunt obvia ſignis,
Terga fuga dantes revocas, pugnantibus arma
Suggeris; infelix! quem tunc tuus attigit enſis.
Non dolus aut virtus, non cum ſeptemplice parma,
Ferreus a magno defendit vulnere thorax,
Non conſerta virum ſquamis a morte tuentur
Tegmina; quin fulva procumbat ſtratus arena,
Diruta tormento ſolet ut procumbere turris,
Ut convulſa cadit ventoſo turbine quercus,
Qualiter abruptus colliſis nubibus ignis,
Emicat in medias, ſuper alta cacumina, terras,
Et ſinuoſa cadens per inane volumina torquet;

Horror habet mortale genus, tremit arduus axis,
Et vix ſuppoſitus tellurem ſuſtinet aër;
Aut fulmen rapida proſcindens nubila flamma,
Diſcutit aut celſam Rhodopejo in vertice pinum,
Aut Athon Eoas compulſum ferre carinas;
Caucaſeaſve nives, Pangaeave culmina rumpit:
Talis in adverſos, nec ſegnior irruis hoſtes;
Te, tua de coelo ſpectantes praelia Divi,
Collaudant, te tota cohors miratur et horret,
Sive leves rapidis praevertis curſibus euros,
Sive volubilibus celerem ſe flectere gyris,
Cogis equum; lento ſeu ſpicula dirigis arcu,
Pectora contorto vel tranſigis obvia pilo,
Fulmineumque rotas trepidis in millibus enſem.
Doctus es aeratam cunctis opponere peltam
Ictibus, adverſa concurrere doctior haſta,
Et circumfuſis vallare obſeſſa catervis
Oppida, et abruptas ſcalis conſcendere turres.
Quin de venturis aliquid praedicere rebus,
Et ſecreta ſoles longe praenoſcere fata,

An cladem, an laetam portendant Numina palmam.
Vera cano, magna res eſt experta ruina.
Vel tunc in primis, olim cum Sforcius heros,
Infregit Venetas, memorando Marte phalanges,
Pacis ſvaſor eras et decertare vetabas;
Sed cum ſvaderes, avidum contendere vulgus,
Obſtitit, et dignas, ſpreto dedit omine, poenas.
Sunt juvenum vires et fervens ſangvine pectus,
Conſilio melius pollet maturior aetas;
Sed ſapere, et praeſtans in eodem corpore robur,
Perpaucis natura dedit; cum Graja juventus
Cingeret in decimo vincendum Pergamon anno,
Viribus Oenides cautum ſuperabat Vlixen,
Ingenio Oeniden cautus ſuperabat Vlixes.
Neſtore major erat ſumtis Telamonius armis,
At minus argutos geſtabat pectore ſenſus.
Te penes hoc geminum munus natura locavit.
Eſt animus ſolers, eſt commoda dextera pugnae;

Es,

Vulg. v. 199. Vlyſſem. 200. Oenidam - - Vlyſſes.

Es, (quod in Atrida magnus laudavit Homerus,)
Dux bello sapiens, miles validissimus armis.
Ergo ego dum tacitus mecum tua facta retracto,
Sum dubius, quo te genitum sub sidere dicam,
Marsne ferox, mitisne Venus, facundus an Hermes,
Phoebeumne tuis natalibus arserit astrum?
Hoc jubet eximiae splendor me credere formae,
Hoc solers animi vigor, et doctrina, sagacis,
Hoc lepor, hoc studium Mavortis et ignea virtus.
Scorpion incurva minitantem praelia cauda,
Te roseus nascente dies, rapidumve leonem,
Clara vel Astraeae possedit Virginis ora;
Iustitiam quod amas, duris quod es acer in armis.
Iupiter ipse tuos per cetera vindicat ortus.
Conferat his fortes dominatrix Roma Camillos,
Carthago Annibalem, Grajae Philopoemena gentes;
Procedat Pyrrhus, vafer huc procedat Amilcar,
Prodeat exuvias gestans Marcellus opimas,

Vulg. v. 218. vendicat.

Et quibus auratus dedit inclyta nomina torquis;
Nec pacis rebus, poterunt nec fortibus armis
Exuperare tuas, quovis sub judice, laudes.
Mantua bellipotens te Principe laeta triumphet,
Te Gonzaga domus tanto laetetur alumno;
Ac supplex Parcas et Numina cuncta precetur,
Ut diuturna tuae conservent tempora vitae.
Nam cum paene puer tantis assvescere rebus
Coeperis, Oceanum transibis et aethera fama,
Dum modo fata tuos producant longius annos.
Haec memorasse sat est, ne sim prolixior aequo,
Neve simul nostris effundam cuncta Camenis.
Adveniet, nostrae Lachesis si ferrea vitae,
Intempestiva non rumpet stamina dextra,
Adveniet tempus, cum te celeberrime quondam
Marchio, nostra chelys plectro graviore sonabit,
Et repetet prima fortes ab origine pugnas;
Curve Sigismundus, qui noverat omnia, Caesar,

Gon-

Vulg. v. 235. pro: si, *non*.

Gonzagam tanto stirpem donarit honore.
Non ego parva licet nostrae munuscula Musae
Nunc genibus commendo tuis; nec carmina supplex,
Nostra precor laeta digneris sumere fronte;
Hoc onus, hanc pro me curam geret, inclyte Princeps,
Vir gravis et prudens, quo jure superbit alumno,
Calcagnina domus; talem mea causa patronum
Repperit, insignis quem tollit ad aethera virtus.

(VI.) ΕΡΑΝΕΜΟΣ, *seu Carmen de certamine Ventorum.*

Ventorum Aeoliis actum certamen in antris
Pierio novus ardor inest evolvere cantu.
Huc ades Aonia comitatus Apollo caterva,
Caesarie rutila, fidibusque superbe canoris!
Huc ades, et praesens juvenilibus annue coeptis,

Huc

v. 5. E MSto. repositus.

Huc ades, et pelago titubantem dirige cymbam.
Nam licet angusto noster natet aequore lembus,
Id tamen immensos undarum attollere montes
Assolet, et vastis crebro saevire procellis.
Quondam ingens rapidos inter contentio ventos,
Orta fuit; cujus major slandique potestas
Afforet: Extemplo vastum petit Aeolus antrum,
Immanemque specum; ventos ubi carcere saevo
Luctantes frenat, nodisque tenacibus arcet.
Atque ibi judicio litem ut componeret omnem,
Protinus excelsa sublimis in arce resedit;
Sceptra manuque gerens, Tyrioque superbus in ostro,
Tum simul haec placido coepit sic pectore fari:
Dicite; quandoquidem placuit certare, vicissim.
A me praecipuum sperabit nemo favorem,
Aequus ero judex, et rex simul omnibus idem.
Desierat, jussuque suo prior incipit Eurus,
Qui rutilo spirat Phoebi radiantis ab ortu.

O sto-

Vulg. v. 8. Attamen. v. 9. Id solet. v. 15. Ac ibi.

O ſtolidi, quae vos palmae ſpes cepit inanis,
Certandi mecum? cum ſit mihi ſumma poteſtas
Aëris et pelagi; Nubes ego flatibus atras
Exigo terrificis, Phoebique cadentis ad axes
Cum licet, extremos, et Hiberum pello ſub orbem,
Quaeque coloratam tutantur nubila gentem
Indorum, Ganges rapidis quas alluit undis,
Cuncta ſub occiduum magnis ago viribus axem.
Pontum ego concutio, facioque tremiſcere montes,
[Induroque nives, cruſtis glacialibus undas
Asſtringo, gelidis tellurem velo pruinis.]
Idem ego cum claſſes ullis ſum nactus in undis,
Attollo vaſtos undarum in ſidera montes,
Pulſo ferox ſcopulos, et verbero litora fluctu.
Sed prius occiduis Titan ſe conderet undis,
Quam penitus valeam noſtras expromere vires.

Dixe-

Vulg. v. 31. ego. v. 33. Inducoque. Hi duo verſus 33 et 34. alieno loco hic inſerti videntur, et pertinere infra ad Boreae orationem. v. 39. exponere.

Dixerat haec Eurus; poſt nubilus excipit Auſter,
Quem Noton appellant, Libycis qui ſpirat ab oris,
Tum ſubito: Fruſtra mecum contenditis, inquit,
Aſtraei fratres; fuſis ego nubibus auras
Horridus involvo, et ſtellas obſcuro micantes,
Eripio denſis lucemque polumque tenebris,
Obduco roſeum picea caligine ſolem,
Lunaremque globum. viden' ut mihi nubila frontem
Atra premant, rorentque ſinus, pennaeque madeſcant,
Nox tegat horribilem vultum, nimboque gravetur
Veſtis, et asſidui fluitent e crinibus imbres?
His ego cum manibus pendentia nubila presſi,
Tum magnus quatit aſtra fragor, tum denſus ab alto,
Verberat imber humum, tum concava flumina creſcunt,
Et ſuperant ripas, nullum tenet alveus amnem;
Perque vias campoſque ruunt, ac templa Deorum
Cum domibus ſilvaſque trahunt, pecudeſque viroſque,
Tum natat omnis ager, collectaque nubila coelo,
Foedam hyemem glomerant, foſſaeque cavaeque lacunae,
Implentur, latis ſegetes ſternuntur in arvis,

Hi-

Hibernique ruunt celſis e montibus amnes.
Spes anni perit agricolis; gemit excita tellus,
Fluminibuſque vias pulſu tremefacta relaxat;
Ingeminant nimbi, tum ſtelliſer intonat axis;
Hinc populos novus horror agit, magnoque tumultu
Concusſae trepidant mentes; perterritus orbis
Antiquum rurſus Chaos impendere tremiſcit.
Nec minus et totum violentis flatibus aequor
Perturbo; nam dum laxo nigrantibus alis
Incubui pelago; tum fluctus nubila pulſant,
Merguntur claſſes, ac turbine litora plangunt,
Pulſu ſaxa ſonant, et totum murmurat aequor,
Aſtra premunt tenebrae, nebulis latet obſitus aër,
Lux perit et denſi reſtingvunt fulgura nimbi,
Accipiunt undae ſummis in nubibus imbres.
Idem ego cum Libycis incumbo turbidus oris;
(Hic propior quoniam, et nobis eſt aptior aether,)

Ver-

Vulg. v. 69. cum. v. 71. totum et commurmurat. v. 76. propior nobis quoniam eſt et aptior.

Verritur omnis humus, fulvae salit imber arenae,
In sublime volans, convexaque sidera lambit.
Quid, quod equos simul atque viros cum fortibus armis,
Atque trabes, rapio vacuas truculentus in auras?
Atque diu magnum coeli per inane rotatos,
Ignotis illido furens cum turbine terris?
Scuta virûm, pharetras, enses galeasque comantes,
Ut paleas, stipulasque leves, in nubila tollo.
Praeterea nostris est ocior impetus alis,
Quam jaculi, aut Partho teli erumpentis ab arcu,
Quam flammae Iovis, ac fundae Balearis, et astri,
Quod cadit immenso ductum per inania tractu.
Vim nequeo dignis nostram satis edere verbis,
Non ego dicendo, sed sum spectandus agendo.
Dixerat haec Auster, et adhuc quoque plura parabat,
Rex vetuit; Zephyrum tandem succedere jussit,
Cui domus Hesperii premitur sub cardine coeli;

Mox

Vulg. v. 77. Vertitur. v. 80. trabes vacuas rapio. v. 82. Illudo.

Mox ait: Occiduis jam Sol oriatur ab undis,
Obruat Eoo flagrantem gurgite currum,
Retro fluat Nilus, curſumque retorqueat Hiſter,
Aetna vacet flammis, tenebroſus luceat Orcus,
Flagrent Sauromatae, nivibus Garamantes abundent,
Mundus pervertat ſeriem, terriſque Britanni
Iungantur, vetitis Arctos mergatur in undis,
Areat Oceanus, ratibus ſit pervia Syrtis,
Poſtquam cum noſtris confertur viribus Eurus,
Et Notos et Boreas. Quis enim certaminis hujus
Non mihi det palmam? Maris eſt mihi ſumma facultas,
Vexo rates, magnos tollo ſuper aethera fluctus,
Eſt mihi jus denſas glomerare per aëra nubes,
Atque ſatis largos coelo demittere nimbos.
Rebus ego primos ortus, vitamque miniſtro,
Hinc etiam vere Zephyrus cognomine dicor.
Per me prata virent, croceis ego floribus agros
Exorno, latos ego veſtio gramine campos,

Ar-

Vulg. v. 94. Occiduis ſed jam exoriatur.

Arboribus frondes et terris largior herbas.
Nam cum ſtillantes felici nectare pennas
Concutio, roſei primo ſub tempore veris;
Brumalemque ſimul propello flatibus annum;
Solvitur omnis humus, lati revireſcere campi
Incipiunt, pictis arrident floribus horti,
Palmes agit gemmas, omnis tum pullulat arbos,
Parturit omnis ager, tum pampinus induit ulmos,
Omnes laetantur campi, nivibuſque fugatis,
Arboribus frondes redeunt, et gramina pratis.
Laſcivit pictis redimitus floribus annus,
Pallentes violae tum mollia prata venuſtant,
Purpureaeque roſae, nec non et candida rubris,
Lilia cum calthis, et flos redolentis anethi,
Narcisſique ſimul, ferrugineique hyacinthi,
Hyblaeumque thymum, caſiaeque crocique rubentes,
Nec non cum niveis, vaccinia nigra liguſtris,
Omnia tum florent, pasſim tum flumina circum,

Mel-

v. 116. pro, lati, forte leg. *laeti.*

Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis,
Atque levi ſomnos hortatur inire ſuſurro.
Tum quocunque tuos coneris flectere greſſus,
Arrident pratis virides in mollibus herbae,
Arrident croceis halantes floribus horti,
Arrident ſilvae, tellus tum germinat omnis;
Tum formoſus ager, molleſque ſub arbore ſomni.
Tum volucres dulci permulcent aethera cantu,
Tum canor in fluviis auditur cygneus altis,
Tum gelidi fontes, leni tum murmure ſerpunt
Vallibus ex imis per mollia gramina rivi.
Sic ego florigeris vernalem flatibus annum
Exorno, et glebas foecundo rore marito.
Ergo mihi meriti palmae debentur honores.
Haec Zephyrus. Cuncti vario ſermone fremebant.
Cum Boreas tales effudit pectore voces,
Cui domus eſt gelido ſeptem ſubjecta trioni:
Et mihi ſunt vires, et me pater edidit Aſtreus.

Et

Verſus 138. e MSto. reſtitutus.

Et nobis noſtrum ſit jus, precor, edere robur.
Quis vos, o caeci, quis agit temerarius error?
Ne cupidis tantam votis expoſcite palmam,
Quae mihi debetur, vires cognoſcite veſtras,
Quas alii nubes glomerant; ego flatibus illas
Propulſo medium coeli vergentis ad axem.
Vis atrox, iraeque truces, animique minaces,
Et mixta ſaevus rabie furor, impetus ingens,
Sunt mihi pro telis; turbo eſt mihi fulminis inſtar.
Liber ab hoc nobis quoties datur exitus antro,
Imbriferis nunquam fuſcatur nubibus aether,
Diffugiunt coelo nimbi, fit lucidus orbis.
At cum marmoreas pelagi convertor ad undas,
In morem quanquam ſtagni, placidaeque paludis,
Proſtratum ſileat, undiſque tacentibus aequor;
Continuo vaſti ſurgunt in nubila fluctus,
Et totum ſubito miſcerier incipit aequor,

Il-

Vulg., v. 150. Ne tantam palmam cupidis. Verſus 162. eſt mendoſus. forte pro, *undiſque*, legendum esſet, *ventiſque*.

Illiſaeque ſonant ſcopulorum cautibus undae.
Quantus ſidereos, Atlas qui ſuſtinet, axes,
Parnaſuſque biceps, et Eryx, et Taurus et Othrys,
Quantus apex Aetnae, aut nubes ſuperantis Olympi,
Quantus Athos; tanti tolluntur in aethera fluctus,
Monſtriferoſque ſinus agitant; undaeque tumentes
Horrendum per ſaxa fremunt, ac litora pulſu
Tota ſonant, crebriſque gemunt agitata procellis.
Tum ſupereffuſus, pulſata cacumina, gurges
Obruit, et preſſi latitant ſub gurgite montes,
Ac totum ſpumis fervet candentibus aequor.
Pulſu reclamant ſcopuli; ſimul aeſtuat imum
Vorticibus fundum, et nigrantem ejectat arenam.
Tum quaſcunque mari puppes deprendit in alto
Turbo rapax, illas aut fluctibus obruit ipſis,
Aut illidit humo, aut ſcopulis infigit acutis,
Denique tam vaſti ſurgunt in nubila fluctus,
Ut quoties ſummas conſcendit pinus in undas,
Con-

Vulg. v. 167. Otrix. v. 181. tum.

Contingant celsi nubes carchesia mali;
At quoties rursum subsidit hiantibus undis,
Tellurem fundo, atque imas contingat arenas,
Sic superinfusis perit omnis fluctibus alnus,
Apparent lacerae tantum vestigia puppis,
Antennae, fractique natant in gurgite remi,
Et saturaturi phocarum corpora nautae.
Saevit hyems, fundo pelagi furit aestus in imo,
Saepius Adriacas Aegaeum transit in undas,
Transsilit Iönium, gurges Tyrrhenus, in aequor,
Tum maris immensi fugit omnis territa proles
Ac tanto rerum stupet exagitata tumultu,
Diffugiunt phocae, et pelago conduntur in imo,
Illis undarum somnos fragor excutit ingens.
Non sese assvetas tollunt delphines in auras.
Ipsam etiam Divûm terret salis ira catervam,
Non meminit varias Proteus mutare figuras,
Innexis nec monstra premit scopulosa lacertis,

Maxi-

Vulg. v. 185. imas ut.

Maximus Aegaeon, centum cui brachia dicunt.
Tum Nereus fundum refugit tremebundus in imum,
Cumque suo Phorcyn coetu conterritus haeret,
Et stupet attonitus trepida cum matre Palaemon,
Nec non Euboïcus liquidarum cultor aquarum.
Oblitus conchae Triton pavet; occulit omnis
Nereidum coetus gremio se matris aquaso,
Eversasque domos, et fracta sedilia luget.
Ipsam etiam Tethyn vasti furor aequoris urget,
Oceanique senis mentem perturbat; et ipse,
Cui totae parent cum monstris omnibus undae,
Cui Divûm pelagi chorus, imperiumque tridentis,
Non torvos summo vultus efferre profundo,
Non audet celeri volitare per aequora curru,
Undarum tanto miscentur cuncta tumultu.
Quae mihi sint pelago vires, audistis, in alto,
At nunc quîs terras perturbem flatibus ipsas,

Elo-

Vulg. v. 203. Phorcus. v. 205. euboicis. v. 207. forte leg. aquosae. v. 210 et ipsam. v. 217. queis terris.

Eloquar, et magnum quo pulfem turbine coelum.
Principio totas ferus ab radicibus imis
Evello fegetes, fummumque per aethera verro,
Et longos miferis cultoribus infero luctus.
Nec potis eft mites tutari pampinus uvas.
Hinc nivibus terram, commixta grandine, pulfo
Efferus, et pasfim canis exuro pruinis.
Sunt mihi concretae glaciali frigore pennae,
Barba mihi glacie, nivibus riget horrida veftis,
Caefariem mihi grando tegit, frontemque pruinae.
Posfum ego pulveream glomerare per aëra nubem,
Posfum convulfas per inania volvere filvas,
Posfum concusfas profternere flatibus arces.
Saepius et ferrum, feu magnae fragmina rupis
Verro per aërias tantis cum flatibus auras,
Ut mox dum mediis pendent fub nubibus, altos
Concipiant ignes, incandefcantque volando.
Cum vero autumnus hyemi concesfit aquofae,

Vulg. 223. commixtam v. 229 evolvere.

Concutio pennas, quarum jactatibus omnes
Continuo terrae nivibuſque geluque rigeſcunt.
Horrendum ſaliens crepitat per culmina grando,
Caneſcunt montes, pereunt armenta gregeſque,
Et circumfuſis horrent vallata pruinis.
Non apro dentes, non crura fugacia cervo,
Non urſis denſi proſunt in tergore villi.
Aſtringunt ſubitae, currentia flumina, cruſtae,
Concreta glacie curſus frenantur aquarum.
Et jam ferratos plauſtrorum ſuſtinet orbes,
Qui ratibus longis fuerat prius hoſpitus humor.
Disſilit aes glacie, riget omnis frigore tellus.
Cum vero denſis horrendo flamine ſilvis,
Incubui, nullae remanent ſuper arbore frondes,
Tum ſilvis cadit omnis honos; it ſtridor in auras,
Tum nemus inclinat, terramque cacumine tangit.
Fit ſonus, et magno miſcentur murmure ſilvae.
Sternitur omnis humi vulſis radicibus arbos.

Pro-

Vulg. v. 252. magnae.

Procumbunt fractae, celsis cum quercubus, orni,
Aesculeaeque trabes, et commoda fraxinus hastis,
Et bicolor myrtus, Paphiae gratissima Divae.
Procumbunt piceae, procumbit fagus et ilex,
Et tiliaeque leves, et densae frondibus ulmi,
Et coryli, et gratae nimium, tibi Delphice, lauri;
Et fluctus, abies pertentatura, marinos.
Nec non flumineae salices, et pallida buxus,
Et steriles platani; procumbit populus ingens,
Herculeis dilecta comis; fragilesque myricae,
Procumbunt oleae, simul aptae navibus alni.
Procumbunt aceres, et cum cedris cyparissi.
Sternuntur palmae, cornusque perutilis hastis,
Navigiisque bonae pinus, taxique nocentes.
Omnes procumbunt silvae, fragor aethera pulsat,
Ergo ferae silvis quaecunque vagantur opacis,
Diffugiunt passim, et caecis conduntur in antris.
Turbo ferit montes, convulsaque saxa resultant,

Frag-

Versus 264. restitutus e MSto.

Fragmina crebra ruunt laterum, obstantesque tuendo,
In terram passim tanto cum turbine silvas
Provolvunt, quanto muralis pondere saxi
Moenia pulsa cadunt, pulsu tremit ultima tellus.
Quid memorem quantis etiam terroribus olim
Armisonae doctam concussi Pallados urbem,
Cum trepidam fulvis complexus Erechthida pennis
Corripui, et raptam magni per inania coeli
Protinus Odrysias abduxi victor ad oras?
Idem ego rimosae convexa foramina terrae,
Cum subii, et vacuis submisi terga cavernis,
Horror agit populos, tum maximus intremit orbis,
Hiscit humus, celsaeque ruunt cum turribus urbes,
Subsidunt montes, pavet implacabilis Orcus,
Umbrarum trepidat, Stygia cum conjuge, rector,
Immissusque dies magno telluris hiatu,
Attonitos gelida terret formidine manes,
Idem ego vos coelo, quoties sum nactus in alto,

Hor-

Vulg. v. 278. Erychthida.

Horriſonis totum miſcentes flatibus orbem,
Grandineoque meas excusſi turbine pennas,
Ipſi eſtis teſtes, quanto molimine lucter;
Concurſu noſtro medius nam perſonat aether,
Eliſi excusſis prorumpunt nubibus ignes,
Fulgura crebra micant, tremit ingens turbine tellus,
Tum novus immenſis perculſum motibus orbem
Terror habet; fugere ferae, tum flamma per auras,
Exiliens, ſilvas, aut celſa cacumina ſternit.
Tum coeli convexa tremunt, boat arduus aether,
Immenſum, motiſque labant compagibus axes,
Fit fragor, et magno tonitru coelum omne remugit.
Quodque magis mirum eſt, ipſi mihi concutit ingens,
Osſa tremor, tantos mundi dum ſpecto tumultus.
Sed quid ego veſtras longis ambagibus aures
Obtundo? longum eſt mihi totas pandere vires,
Et Titan prono jam vergit in aequora plauſtro.
Sed veluti noſtrae monſtrant praeſagia mentis,

Victor

Vulg. v. 296. perculſus montibus.

Victor ero. Tu rex, tua quae ſit opinio profer.
Dixerat, et magno fremuerunt antra tumultu;
Excuſſi reſonant nodi, ſtrepituque tonat mons.
Quisque ſibi ingentem magno cum murmure palmam,
Flagitat, et vaſtis acuit clamoribus iras.
Ni centum rigido nexis adamante catenis,
Pennas atque manus vincti poſt terga fuiſſent,
Lis foret in veros pugnae converſa tumultus.
Haec ubi proſpexit, ſolio ſic infit ab alto
Arduus Hippotades, et talibus increpat iras:
Quis furor o caeci? quae mentem inſania verſat?
Conſpectu in noſtro, qui vos rego, prô ſcelus ingens!
Prô furor! haec agitis? tantoſque ciere tumultus
Audetis? nec vos noſtri reverentia tangit?
Ni finitis. — Dederat tales e pectore voces
Aeolus, aſt illis pavidos tremor occupat artus,
Attonitique ſilent, clamoſaque murmura preſſant,
Nil auſi mutire palam, vultuque remiſſo,

Obli-

Vulg. v. 310. ſtrepitu tonat et mons.

Obliquo regem, ac titubanti lumine ſpectant.
Non tamen exuta penitus feritate quierunt,
Ingenitam ſibi vis naturae tradidit iram.
Non ſecus ac clauſtro meditantes praelia tigres,
Cum ſubito iratus, pulſuque minisque magiſter,
Aggreditur, ceſſant, inceptaque praelia linquunt,
Non tamen exuta prorſus feritate quieſcunt,
Concusſaeque pavent indignanturque; pavere
Indociles, metus hinc urget, furor inſitus illinc.
Poſtquam pacatas vidit rex Aeolus iras,
Dat Scythico palmam Boreae, ſimul imperat ipſis,
Ut nullos auſint poſt inceptare tumultus.
Tum ſimul et nodos luctantibus artat ahenos,
Obſirmatque feras clauſtrorum et vincula ſtringit.
Haec ubi perfecit, vaſto progresſus ab antro
Ardua tecta petit Vulcani opus ignipotentis.
Exultat victor Boreas, laudatque tyranni
Iudicium, et laeto teſtatur gaudia vultu.

At

Vulg. v. 333. pavore. v. 334. pro *furor*, pavor v. 338. arctat.

At contra amisſos inglorius Eurus honores,
Conqueritur, Zephyruſque ſimul, ſimul humidus Auſter,
Irrita fruſtratis fundit ſuſpiria votis.

Finis Carminum Heroicorum
IANI PANNONII.

IANI PANNONII

ELEGIARUM LIBER PRIMUS.

(*Continentur hoc Libro Elegiae XV. eodem ordine, quo in MSto. Viennensi reperiuntur.*)

Naïadum Italicarum principi Divae Feroniae Ianus Pannonius cecinit in reditu ex Urbe Nonis Iuniis A. MCCCC LVIII.

ELEGIA I.

Sacri fontis ave, mater Feronia, cujus
Felix Paeonias, Narnia potat aquas.
Iam prope litorei tetigit sol brachia cancri,
Sentit et Icarium, fervida terra, canem.
Tolle sitim; saevis tulerat Langia Pelasgis,

Quae

v. 1. In quibusdam editis: *Fontis ave sacri.* In aliis: *O sacri fontis mater*, cet.

Quae noſtra exurit pectora, tolle ſitim.
Sic tibi magna parens alimenta aeterna miniſtret,
Sic nunquam vena pauperiore fluas!
En ſemel, en iterum, quos ferrea fiſtula fundit,
Excipiunt latices, guttura ſicca, tuos.
O quantus rediit membris vigor! o mea quanto
Viſcera divinus liberat igne liquor!
Nec venter, quamvis repetito murmurat hauſtu,
Sudorem ſubitum nec gravis humor agit.
Ergo operae nobis pretium fuit alta labantes
Ad juga clivoſo tramite ferre gradus.
Iam libet et pulchram mirari turribus arcem,
Quae ſurgit ſanctis proxima gurgitibus,
Audire et ſtrepitum, quem ſubter, valle profunda
Spumea ſulfurei fluminis unda facit,
Ac totos circum luſtrare ex ordine montes,

Pu-

Vulg. v. 13. immurmurat. v. 15. libantis. Totum diſtichon (v. 15 et 16.) abeſt a MSto. in editis autem omnibus loco ſuo turbatum eſt.

Pura salutiferi, quos fovet aura, poli.
Ante, voluptatem spectacula nulla movebant
Cum premeret torrens ora perusta vapor.
Ocyus huc adsit toto grege pingvior haedus,
Mutet et effusus, vitrea stagna, cruor.
Adsint et liquido Bacchi cum munere flores,
Nec cesset laudes vox resonare pias:
Salve iterum e Latiis, longe celeberrima, Nymphis,
Hospitis et grati suscipe dona libens!
Tu placidam miseris requiem mortalibus affers,
Corpora morosis febribus aegra levans.
Nec soli debent homines tibi, debet et aether,
Aurea cum pascas roribus astra tuis.
Phryx puer haud alias miscet cum nectare lymphas,
Nec sua Mars alio vulnera fonte lavit.
Debita solventur semper tibi vota quotannis,
Dum mea vitalis spiritus ossa reget.
Nec plus Castalias, quam te, venerabimur undas,

Mu-

Vulg. v. 23. manebant. v. 32. tu rapidis -- levas. v. 36. lavat.

Muſarum et nobis Numinis inſtar eris.
Sed tamen in fesſas, unde haec medicina, medullas,
Omnia quae noſtis, dicite, quaeſo, Deae.
Evander ternis Herilum ſpoliaverat armis,
Crudeles genitrix invocat orba Deos.
Iupiter eſt flentem coelo miſeratus ab alto,
Corpus et in tenues jusſit abire lacus.
Nec voluit rivis esſe ex vulgaribus unum,
Sed Superis magno fecit honore parem.
Praecipua hinc levitas, hinc vis contraria morbis,
Hinc clarum tota nomen in Auſonia.

Laus Andreae Mantegnae, Pictoris Patavini. A. MCCCC LVIII.

ELEGIA. II.

Qualem Pellaeo fidum cum rege ſodalem
Pinxit Apelleae, gratia mira, manus;
Talis cum Iano tabula Galeottus in una,
Spirat inabruptae nodus amicitiae.

Quas,

Quas, Mantegna, igitur tanto pro munere grates,
  Quaſve canet laudes, noſtra Thalia, tibi?
Tu facis ut noſtri vivant in ſecula vultus,
  Quamvis amborum corpora terra tegat.
Tu facis, immenſus cum nos diſterminet orbis,
  Alter in alterius poſſit ut eſſe ſinu.
Nam quantum a veris diſtant haec ora figuris?
  Quid, niſi vox iſtis deſit imaginibus?
Non adeo ſimiles ſpeculi nos lumina reddunt,
  Nec certans puro ſplendida lympha vitro.
Tam bene reſpondet paribus diſtantia membris,
  Singula tam proprio ducta colore nitent.
Num te Mercurius divina ſtirpe creavit?
  Num tibi lac, quamvis virgo, Minerva dedit?
Nobilis ingenio eſt, et nobilis arte vetuſtas,
  Ingenio veteres vincis, et arte, viros.
Edere tu poſſis ſpumas ex ore fluentes,
  Tu Veneris Coae perficere effigiem.

Nec

Vulg. v. 6. Quaſve tibi laudes noſtra Thalia canet?

Nec Natura valet quicquam producere rerum,
Non valeant digiti quod simulare tui.
Postremo, tam tu picturae gloria prima es,
Quam tuus historiae gloria prima Titus.
Ergo operum cultu terras cum impleveris omnes,
Sparseris et toto nomen in orbe tuum;
Ilicet, accitus superas transibis ad arces,
Qua patet astriferae, lactea zona, viae;
Scilicet ut vasti pingas pallatia coeli,
Stellarum flammis sint variata licet.
Cum coelum ornaris, coelum, tibi praemia, fiet,
Pictorum et, magno sub Iove, Numen eris.
Nec tamen his fratres cedent pietate poëtae,
Sed tibi post Musas proxima sacra ferent.
Nos duo praesertim; quorum tua dextera formas
Perpetua nosci posteritate facit.
Interea haec gratam testentur carmina mentem,
Vilior his Arabi turis acervus erit.

Bla-

Vulg. v. 39. testantur.

Blasio militanti Ianus febricitans.
A. MCCCC LVIII.

ELEGIA III.

Dum te castra tenent pictis fulgentia signis,
Nec trepida raucas excipis aure tubas;
Nos, Blasi, aestifera correpti febre jacemus,
Desidis et leti triste timemus iter.
Nil igitur prodest quod longe bella geruntur,
Si fata in media vivere pace negant.
In Turcos utinam tecum simul arma tulissem,
Non foret in tanto nunc mea vita metu.
Hic nec opinanti gelidos tremor occupat artus,
Illic quam veniat cernitur ante malum.
Nos pugnam inviti capimus; nisi tempora svadent,
Vos detrectatis conseruisse manum.
Non ulla hic caecos astutia defugit ictus,

Illic

Vulg. v. 5. gerantur. v. 7. Turcas. v. 12. manus.

Illic vitari miſſa ſagitta poteſt.
Debilis a morbo ſemper proſternitur aeger,
At miles fuſo ſaepius hoſte redit.
Nobis praeterea certamine nulla moleſto
Lux vacat; in veſtro eſt multa labore quies.
Luditis in mediae ſecuri ſidera noctis,
Hoſtiles, vallo nil metuente, minas.
Fert clypeus talos, dat pocula caſſis, et altum
Ebrius ante ignem carmina lixa canit.
Succedit ludo ſomnus, pallentibus aſtris,
Curantur rapto, corpora feſſa, cibo.
Praeda venit; totus laxatur in otia menſis,
Debita nec dives poſtulat aera cohors.
Dicere nulla queas langventis gaudia, cujus
Ipſe fugit vini primus ab ore ſapor.
Fercula contortis libat male grata labellis,
Prandia nec miſeris queſtubus ulla carent.
Decubat excluſo commiſſis ſole feneſtris,

Nec

Vulg. v. 30. queſtibus.

Nec ſinitur coelo liberiore frui.
Membra gemens ſtratis verſat; ſi membra vocamus,
Oſſibus haerentem vix ſine carne cutem.
Pallia nunc poſcit, nunc rurſus pallia ponit,
Lumina nec placidus mulcet adacta ſopor.
Verum ſive tua eſt, ſeu ſors mea durior, oro,
Nos tibi, te nobis, reddat ut una dies.
Ac reduci ſanus large nova muſta propinem;
Tempora ſignabit candidus illa lapis.

Vulg. v. 36. abacta. v. 40. iſta.

De Stella aeſtivo meridie viſa, A. MCCCC LXII.

ELEGIA. IV.

Quodnam hoc tam clara ſidus ſub luce refulget,
Nec timet in medio praenituiſſe die?
Fulva Cleonaei certe per terga leonis,
Celſius aeſtivos, ſol agit acer, equos.
Nec prodire vagas permittens longius umbras,

In caput Aethiopum ſpicula recta jacit.
Omnia nunc flagrant, nec caligantia puri
Aſſpectum coeli lumina ferre valent.
Cetera caeruleam Noctis variantia pallam,
Praeſtrictum radiis occuluere jubar,
Una tamen longe reliquis audacior aſtris,
Contemto Phoebi ſtella nitore micat.
Quantus conſpicuo rutilans fulgore cometes,
Nuntiat horrenda, bella cruenta, juba.
Sed tu, (ſive Iovem mavis te forte vocari,
Grata eſt Idaliae, ſeu tua flamma, Deae,
Sive novum coelo modo te Deus addidit ignem,
Ac ſolis feſſae, juſſit adeſſe, faci.
Felix cui ſoli fas eſt haud cedere Phoebo,
Non tantum noctis quae potes eſſe decus.)
Nil dirum, nil triſte feras; ſed lumine dextro,
Pelle procul quicquid fata ſiniſtra parant.
Saturni tu frigus iners, tu Martis iniqui
Ardores, placida corrige temperie.
Perfice ne terris noceant Arcturus et Haedus,

Arctu-

Arcturus ventis, saevior Haedus aquis.
Grandine flaventes ne pulset Scorpius uvas,
Ne segetes nimio torreat igne canis.
Neu miseros turbet nautas nimbosus Orion,
Orion clava, nec minus ense ferox.
Sed pius insanis defendat Castor ab undis
Limite quas certo duxerit Ursa rates.
Semina centeno reddat cum foenore tellus,
Unda ferat pisces, aura salubris aves.
Per te vexato redeat concordia mundo,
Ianus et aeterna comprimat arma fera.
Esto quidem late populis tu prospera cunctis,
Sed magis afflictas respice Pannonias.
Verte pharetratos Phryxi trans aequora Turcos,
Quos male nunc Hister submovet amne suo.
Fac regem observent proceres, rex ipse, fideli
Consilio procerum, se regat et patriam.
Omnia sic roseis cedant tibi sidera flammis,
Sic tuus occiduas, nesciat ignis aquas.

De Apro et Cervo.
A. MCCCC LXIII.

ELEGIA. V.

Quantum Iunoni Tegee, Calydonve Dianae,
Dicitur Aetolis progenuiſſe jugis;
Tantum noſtra ſuem fudit pagana juventus,
Vix capiunt vaſtam, ſtridula plauſtra, feram.
Haec Meleagreo poterat procumbere ferro,
Haec erat Herculea, bellua digna, manu.
Asſpice curvatos alte, duo fulmina, dentes,
Asſpice ſetoſae, ſpicula denſa jubae!
Abrupit quam ſaepe plagas! quam ſaepe morantes
Turbidus obliquo diſcidit ore canes!
Non illi ſolae, praebebant pabula, ſilvae,
Nec quae de patulis, glans cadit ilicibus,
Arva diu miſeri flebant populata coloni,
Saevior haec omni grandine peſtis erat.
Sed jam ſecuros reſonet paſtoria cantus

Fiſtu-

Fiſtula, reſpirant, paſcua, rura, greges.
Nunc etiam timuisſe juvat cesſante periclo,
Dulce eſt praeteritos commemorare metus.
Macte animi, dirum, primus qui ſigere, monſtrum
Auſus es; aeternum carmine nomen habe.
Vos ſimul agricolae memores, victoris ephebi
Populea meritum, cingite fronde, caput.
Ecce ſed ingentem, pubes fert altera, cervum!
Silvia, qualis erat, vel, Cyparisſe, tuus.
Ardua bis denis, asſurgunt cornua, ramis,
Suſpendenda tuo, Cynthia Diva, tholo.
Iam foecunda fovet centeſima ſemina, tellus,
Iam poſuit totidem, vinea laeta, comas;
Poſtquam hunc ſolliciti longe mirantur agreſtes,
Ducere cornigerum, per nemora alta, pecus.
Taedia nam longi quoties perſenſerat aevi,
Noverat angvineo, ſe renovare, cibo.
Nec modo veloces captum ſtravere molosſi,
Aut tenuere ſuam, linea texta, fugam,
Quamvis alta levi ſuperabat retia ſaltu,

Ocyor

Ocyor aligero Bellerophontis equo;
Sed magno e ſilvis actus clamore ſequentum,
Incidit in fragili, ſtagna adoperta, gelu.
Hic ſaepe incasſum ſurgenti et ſaepe cadenti,
Succidit celeres, lubrica teſta, pedes.
Sic tandem victus toto dedit altera pago
Gaudia, quae pariter contulit una dies.
Una dies multos, olim recolenda, per annos,
Quam niveus priſco ſignet honore lapis.
Hanc vos unanimi, mecum celebrate, ſodales,
Dum favet hinc aetas, hinc genialis hyems.
Dilutae Baccho fugiant ante omnia curae,
Ille poteſt moeſtos exhilarare Deus.

Threnos, de morte Barbarae matris,
A. MCCCC LXIII.

ELEGIA. VI.

Quid querar? unde novo quaeram fomenta dolori?
Ecce jacet lacrymis, mater humanda, meis.

Ergo

Ergo erit iſta dies nobis dum vita manebit,
Semper acerba licet, rite colenda tamen.
Sive illam Libyco longe deprenſus in aeſtu,
Sive Lycaonio ſidere presſus agam.
Nam quoties agilis ſeſe converterit annus,
Noſtra recrudeſcet tempore plaga ſuo,
Admonitus plangam, pietas renovabit honorem,
Moeſta pius tumulo munera reddet honos.
Atra dies, Nonas, ſequeris quae quinta, Decembres,
Accipe non albae, triſtia ſigna, notae.
Turbidior nobis caligine noctis opacae,
Semper eris, puro tu licet igne mices.
Quanquam nunc etiam non laeta luce coruſcas,
Sed nigris horres concolor exequiis.
Aethereos tractus radiis impervia nubes,
Abſtulit, et nebulis obſita terra latet.
Talibus obſequiis talis bene convenit aër,
Non ſunt funereis, apta ſerena, rogis.

Nec

Vulg. v. 19. officiis.

Nec gravis hoc egit nimboſis flatibus Auſter,
Ipſa ultro noſtris condolet aura malis.
Tu vero nimium nobis infenſe December,
Cur toties in me perfida bella moves?
Nonne ſemel, rapto tibi me laeſiſſe Guarino
Sat foret? en iterum vulnera noſtra novas!
Ultime bis ſenis rapidi de fratribus anni,
Invidioſe viris, invidioſe Deis!
Tu damno lucis nocturnas porrigis horas,
Ducis et exiguo tramite ſolis equos.
Tu pigro informem contriſtas frigore mundum,
Exuis et campos gramine, fronde nemus.
Menſe tuo nec prata greges viridantia tondent,
Nec leve ſub foliis garrula cantat avis.
Tu facis ut late populantibus omnia Turcis,
Tecta gelu faciles praebeat unda vias.
Te quondam Genio ſacravit vana vetuſtas,
At tu debueras manibus eſſe ſacer.

Vana

Vulg. v. 22. addolet.

Vana queror demens, nil unquam tempora peccant,
Quae peragit verſo mobilis orbe polus.
Vos potius noſtri moeroris crimen habetis,
Sidera, fatales volvere nata vices.
Vos penes eſt vitae pariter cum morte poteſtas,
A vobis cauſas inferiora trahunt.
Quid juvat o Superi, fixisſe nocentia coelo
Aſtra? quid errantes conſtituisſe globos?
Sponte ſua letum mortalibus imminet aegris,
Sponte ſua, e fragili corpore vita fugit.
Si laeſura homines ſtellarum ſigna fuerunt,
Debebat ſimplex aetheris esſe color.
At vos me fruſtra petitis lenire ſodales,
Parcite nunc, forſan poſtmodo tempus erit.
Non facile eſt iram dictis mollire recentem,
Non bene, curantes, fert nova plaga, manus.
Sed, puto, majus habent vulnus mea pectora, quam quod
Vel diuturna queat conſolidare dies.
Quodſi cui noſtra haec pietas culpanda videtur,
Ceu muliebre animi debilioris opus;

Is certe ignorat naturae jura potentis,
Ignorat veterum tot pia facta virûm.
Marcius ingratam properabat vincere Romam,
Victa ad maternas languit ira preces.
Fugerat Hesperium Sertorius exul in orbem,
Plurima sed profugo cura parentis erat.
Sancta humeris Siculi portarunt pondera fratres,
Aetnaeus flammas dum vomit ore gigas.
Nec plus Tyndaridas Sparte, quam praedicat Argos,
Trita parentali fortia colla jugo.
Secula nec solos coluerunt prisca parentes,
Quin etiam nutrix tunc veneranda fuit.
Cajetam e mediis Phrygius tulit hostibus heros,
Illa dedit Latiis nomina litoribus.
Acca in Romuleis meruit solennia fastis,
Ambiguae mulier nomine tecta lupae.
Iupiter altrici donavit sidera caprae,
Splendet adhuc liquido nobilis illa polo.

Nec

v. 74. forte leg. Ambiguo.

Nec minus hac Hyades gratum teſtantur Iäcchum,
Quas vernus nitido Taurus in ore gerit.
Nec vero illorum quisquam neget esſe gemendos
Interitus, vitae quis mora longa fuit.
Sincerus nullos affectus computat annos;
Quicquid ames, nunquam conſenuisſe putes.
Tene ego, poſt duodena licet quinquennia raptam,
Non fletu et lacrymis proſequar alma parens?
Tu me conceptum genitali in ſede tuliſti,
Exigeret menſes, dum vaga luna, decem;
Forſitan et duri rupisſent viſcera partus,
Ni tibi nitenti Iuno tulisſet opem.
Exin progenitum geſtaſti mollibus ulnis,
Ac tua ſunt labris ubera presſa meis.
Tu me complecti, tu me, velut unicus esſem,
Comere, tu blando ſveta fovere ſinu.
Longe Livor eat; geminos me praeter habebas,
Sed tamen ambobus carior unus eram.

Omen

Vulg. v. 93. *eras.*

Omen inest genitis, et habent praesagia matres,
An magis in fera stirpe moratur amor?
Hinc ubi jam certo fixi vestigia gressu,
Desiit et blaesos frangere lingva sonos;
Protinus ingenuas docilem transmittis ad artes,
Otia nec pateris ducere lenta domi.
Quicquid lana tibi, quicquid tibi tela lucelli
Attulerat, merces erudientis erat.
Imbiberam tenerae vix prima elementa Minervae,
Nec mala venturi jam documenta dabam,
Cum tuus Ausonias tradit me frater ad oras,
Longinquo et Musas quaerere in orbe jubet.
Illius impensa Venetas celebravimus urbes,
Dum sol undecies per sua signa redit.
Quod desiderium tanto tibi tempore nostri?
Quanta inter dubios gaudia saepe metus?
At postquam patriae me reddidit Itala tellus,
Obtigit et juveni pontificalis honos,

Non

Vulg v. 102. Contulerat.

Non fuit ulla tuae, ſedes tam grata, ſenectae,
Quam prope me modicos incoluiſſe Lares.
Hic modo delicias nobis ſtudioſa parabas,
Nunc trepida nebas, linea texta, manu.
Donec fila tibi torquere noviſſima Clotho
Coepit, et extremos annumerare dies.
Convenit audito triſtis vicinia caſu,
Nec capiunt denſas atria lata nurus.
Flebant cognatae, nuper tua cura, puellae,
Clauſura et viſus, filia moeſta, tuos.
Aſt ego blanditiis animum ſolabar anilem,
Triſtitiam vultu diſſimulante tegens.
Scilicet augeret mea ne tibi cura dolorem,
Anxia neu fieres anxietate mea.
At tu nec tanto genitricem oblita periclo,
Dulce tibi ajebas, me ſuperante, mori.
Quaerebant noſtros jam caligantia vultus
Lumina, nec nomen deerat in ore meum.

Cum

Vulg. v. 126. ne.

Cum ſubito in vacuas diſcedens ſpiritus auras,
Deſtituit tepido, frigida membra, toro.
Mater io cur me rerum inter proſpera linquis?
Hoc tibi vivendum tempore, mater, erat.
Cum me florentem, cum me ſpectare beatum,
Cum poteras omni commoditate frui.
Pupillae, et certe nondum nupſere, ſorores,
Turba magiſteriis inſtituenda tuis.
Quarum quis molles nunc imbuet artibus annos?
Quis tenerae cuſtos virginitatis erit?
Accipe cara parens noſtri monumenta doloris,
Non ampla artifici ſtructa ſepulcra manu.
Nec Mauſolei pendentis in aëre molem,
Nec ruiturarum culmina pyramidum,
Pſallentum ſed rite choros, ſed turis odores,
Sed cum flebilibus, verba tremenda, modis.
En feretrum celebri praecedunt agmina pompa,
Pulſata et ſacris turribus aera ſonant.
Dives ad innumeras offertur cereus aras,
Ac requiem templum concinit omne tibi,

Ipſe ego ſolenni pullatus veſte ſacerdos,
Ad tumulum pro te, myſtica dona fero.
Quamvis haud dubitem felici ſede receptam,
Orbe manent alio praemia ſi qua pios.
Vixiſti innocue, coluiſti labe remota,
Officiis homines, relligione Deum.
Incolumi ſane fueris quam fida marito,
Declarat viduae non repetitus Hymen.
Manſiſti caelebs dum vertens ſecula Titan,
Iungeret autumnis, luſtra quaterna, tribus.
Ergo apud antiquos olim tibi jure Quirites,
Rara pudicitiae parta corona foret.
Nec mors praeteritis diſpar tibi contigit actis,
Fine bono claudi vita probata ſolet.
Omnibus expletis ſacra quae lege jubentur,
Libera terreno carcere ad aſtra volas.
Sed jam ſancta vale genitrix, et civis Olympi,
Cunctantem in terris, voce precante juva.
Mutua nos rurſum junget praeſentia, cum mox
Audiet extremam, machina tota, tubam.

Interea facili corpus requiescat in urna,
Nec gravis incumbens urgeat ossa lapis.

Invehitur in Lunam, quod interlunio matrem amiserit. A. MCCCC LXIII.

ELEGIA VII.

Vos divini ignes, mundi quibus ima reguntur,
Aurea quis magni pingitur aula Iovis;
Tam quos legitimus propriis agit orbibus error,
Quam quorum coelo lumina fixa micant;
Vos inquam aeternis animati mentibus ignes,
Ad quorum motus, stamina fata trahunt;
Erravi fateor, confessae ignoscite culpae,
Contingat vobis sic aliquando quies;
Uni debueram, cunctis convicia feci,
Omnes damnavi cum foret una nocens.
Privatum quod crimen erat, commune putabam,
Non bene mens verum, caeca dolore videt.

At

At nunc deprensus numeris innotuit auctor,
    Causa fuit cladis, Cynthia sola, meae.
Quo pudibunda fugis? quid te post nubila celas?
    Plus prodit timidos, vana latebra, reos.
Tu certe, obscurae tu fax, Latonia, noctis,
    Sumsisti radios, in mea damna, novos.
Nam tua, germani dum proximat orbita, flammis,
    Paullatim morbo, tabuit illa, gravi.
Ac pariter te lux, illam sua vita reliquit,
    Heu quod deterior sors sua, sorte tua est!
Tu quippe ecce nites reparato splendida cornu,
    Illius aeterna lumina nocte rigent.
Ergo salutiferum, quisquis te dixerit astrum,
    Hunc ego convincam vana et inepta loqui.
Summa tuae cum sint virtutis, frigus et humor,
    Esse salutaris qua ratione potes?
Frigus et humor agunt, ut vexent corpora morbi,
    Ut nata intereant, frigus et humor agunt.
Nec dubie toto quod sis vilissima coelo,
    Possessi series arguit ipsa loci.

Esfes ni vilis, non aetheris ima teneres,
Conveniens meritis, hic fuit ordo, tuis.
Quod fluidis nempe eſt elementis infimá tellus,
Hoc te ſidereis, novimus esſe, plagis.
Unde etiam reliqui modulantur acutius orbes,
Implacidum nimia, tu gravitate, ſonas.
Quisquis et in terras aliis deſcendit ab aſtris,
Peſtifer influxus, per tua regna fluit.
Eſt et in hoc aliquid, quod munere ſola reſulges
Alterius, proprium cetera lumen habent.
Inde fit, ut nullo tua lux fervore caleſcat,
Ceu cum de ſpeculo flamma remisſa redit.
Adjice quod ſimili ſplendent alia omnia vultu,
Nec tenor eſt unquam, forma nec una, tibi.
Nam modo ſera venis, totis modo noctibus ardes,
Nonnunquam medio curris opaca die.
Nunc admota polo, nunc montibus addita ſerpis,
Ardua nunc Boreae, nunc petis ima Noti.
Saepe hodie major, cras ſaepe futura videris,
Saepe repente peris, ſaepe rotunda nites.

In-

Interdum candes, interdum lurida palles,
Eſt, cum purpureo rubra colore venis.
Quod tamen in medio ſordet tibi lividus orbis,
Conſtat polluti pectoris esſe notam.
Nec ſane indignor, quod deficis ipſa frequenter,
Iſta tibi ſemper ſors patienda fuit.
Sed cum fraternos intercipis obvia currus,
Quis non ingratam, quis putet esſe piam?
Omnia tu varias, et cum vertaris in horas,
Exemplo pateris nil ſtabile esſe tuo.
Ad tua mutatur momenta agitabilis aër,
Sive furit ventis, ſive madet pluviis.
Ad tua mutatur momenta reciproca Tethys,
Sive tumet, refugas ſive reſorbet aquas.
Quod diſcrimen habent in agendis tempora rebus,
Hoc etiam pendet de levitate tua.
Nec niſi te quinta naſci potuere Gigantes,
Natalem hunc Furiae, triſtis et Orcus habent.
Omnia tu vitias, per te reſoluta putreſcunt,
Viſcera ſub dio, ſi qua peremta, jacent.

Tu

Tu ſata per campos ſterili rubigine aduris,
Materies vitio ſit carioſa tuo.
Decubuit laſſus ſi te lucente viator,
Surgenti torpor roſcida membra ligat.
Te paritura vocat ventri matrona levando,
Saepe tamen, foetu commoriente, perit.
Saepe moves ſubitos, conſerto Marte, tumultus,
Femina ſis quamvis, praelia ſaepe moves.
Crimine ſaepe tuo corruptus inhorruit aër,
Corripuit populos publica ſaepe lues.
Hinc et letiferas equidem tibi jure ſagittas,
Crediderim priſcos attribuiſſe patres.
His quondam innocuae Niobes cecidere puellae,
Dilecta et ſummo Laodamia Iovi.
Sed longe eſt ipſo, gravior dementia, leto,
Cum torquet miſeros, te ſtimulante, furor.
Nam nec philtra magis, nec pocula mixta veneno,
Quam tua vis mentes exagitare ſolet.
Quid facit inſano pejus Bellona flagello?
Aut ſerpentinis torva Megaera comis?

Verum cum femper noceas, plus omnia laedis,
Quando lates, nam tunc quod juvat, alter habet.
Tunc magis Euripi fervent refluentibus undis,
Tunc tempeftates turbida flabra cient.
Nec caput eft cerebro, nec plenae fangvine venae,
Fluctibus et mediis oftrea fema natant.
Ipfa arent teneris exhaufta arbufta medullis,
Nec formica fuum fegnior urget opus.
Pesfima fed noftro generi interlunia femper
Sunt tua, tunc Lachefis ferrea fila metit.
Aut faltem occuleris uunquam, quin durius aeger
Langveat, et medicus fidat in arte minus.
Quid? quod diverfos perhibent te fumere vultus?
Fallor, an idcirco trina figura tua eft?
Nunc Styga Perfephone celebras, et foedere certo
Tempora maternis aequa maritus habet.
Nec (vatum ut fingunt mendacia) rapta fuifti,
Sponte rapi voluit fi qua redire negat.

Nunc

Vulg. v. 98. lenta.

Nunc ſpecie Phoebes tacitum metiris Olympum;
Nec tamen hac etiam ſede pudica manes.
Nam quis te caſtam, quis dicat amore carentem?
Cum tibi lentus adhuc dormiat Endymion?
Cum rorem magno generes ex aëre? cum te
Iunxerit Arcadio candida lana Deo?
Nunc ſaltus junctis peragras pharetrata Napaeis;
Nec ſinis illaeſas montibus ire feras.
Perde malas tigres, et ſaevos perde leones,
Dum tantum ſilvis tutus inerret homo.
Eſto tamen figi meruit violentus Orion,
Invitam ſtupro dum maculare parat,
Quid miſer Actaeon ſceleris commiſit, ut illum
Objiceret canibus, forma ferina, ſuis?
Unum tranſieram, (ſed et illo plura ſuperſunt,)
Nequitiae reſidet pars ubi magna tuae.
Tu magicos cantus, et noxia gramina monſtras,
Tu ſacra Naturae vertere jura doces.
Culpa tua eſt, quicquid fecit Titania Circe,
Quicquid et Aeetae filia, culpa tua eſt.

Sed

Sed bene quod proprias torqueris ſaepe per artes,
Tum, cum carminibus, facta cruenta, rubes.
Nosſem utinam quae te deducunt murmura coelo,
Quas nobis poenas mox ſcelerata dares?
Iam tuus in terras rueret globus axe revulſo,
Frangeret et verſos, biga ſupina, boves.
Nec tibi prodesſet, quamvis tuba multa ſonaret,
Vulgus et attonita rumperet aera manu.
Quo feror? aut quid ago? veniam, Dea magna, precamur,
Offendit numen, ſi mea lingva, tuum.
Parce, ita non unquam tenebreſcas obice terrae,
Non ego, ſed ſaevus protulit iſta dolor.
Ille domat fortes, ille impia ſaepe coēgit
Improbus, in ſanctos dicere verba Deos.
Illo, quid deceat, mens obruta, cernere neſcit,
Illo ſit natis ſaepe noverca parens.

Matthias Rex Hungarorum, Antonio Conſtantio, poëtae Italo. A. MCCCC LXIIII.

ELEGIA VIII.

Non levis Aonidum, Conſtanti, cura ſororum,
Qui nos, qui noſtrum tollis ad aſtra patrem,
Diffuſum Auſonias rumorem ſcribis in urbes,
Me pia pro ſancta bella movere fide;
Pannonicam mecum pariter deſcendere pubem,
Ac procerum coetus regia ſigna ſequi.
Vera quidem noſtros vulgarat fama paratus,
Nec quicquam vani finxerat illa joci.
Hoc ſiquidem toto, caſtris indulſimus, anno,
Geſſimus et Muſis non reticenda tuis.
Nam patrium juxta vires dum cogimus Hiſtrum,
Venturum Martis dum meditamur opus;
Ecce protervus Halis, fiducia ſumma ſuorum,
Sirmia trajecto, pervolat arva Savo.

Ni-

Nimirum egregia ſperans ſe laude potiri,
Ureret ante oculos, ſi mea regna, meos.
Iam praedam referebat ovans, jam victor abibat,
Per modo transmisſas, mox fugiturus, aquas;
Cum ſubito noſtras praeſenſit adesſe phalanges,
Quamvis nox medium denſa teneret iter.
Ilicet, inſtructas agit in certamina turmas,
Hinc litui, aſt illinc tympana rauca ſonant.
Infeſta adverſis, concurrunt agmina, telis,
Fit fragor, et multo, terra cruore, madet.
Ter mutata vices Victoria vertit, et hoſtis
Ter pugnam fertur, ter repetisſe fugam.
Sed poſtquam aeratas acies lux clara retexit,
Turbatum viſu retulit ille pedem.
Magna cadit campo pars, maxima mergitur amni,
Pars fert captiva, triſtia vincla, manu.
Ipſe per adverſas evadit ſaucius undas,
Mittitur ad proprios praeda recepta Lares.
Non tamen accepta veſanus clade quieſcit,
Sed ſtimulat victum bella novare pudor.

Danubium rursus, collecto milite, transit,
Rursus et ingenti caede repulsus abit.
Hic ego turpe ratus tantummodo nostra tueri,
Nec rerum oblata commoditate frui;
Continuo hostiles, transcendo laetus, in agros,
It comes a tergo Luctus, et ante Pavor.
Mysorum spoliantur opes, trux omnia late
Gradivus ferro, Mulciber igne rapit.
Nusquam torvus Halis, nusquam ampla potentia Turci,
Nusquam arcu et conto vincere doctus eques.
Postquam nulla datur quaesitae copia pugnae,
Vertimus ad patrias, frena retorta, domos.
Sed quoniam pratis etiam nunc herba virebat,
Nec fera militiam praepediebat hyems,
Fortunam ulterius placuit tentare secundam,
Nec tam praesenti tam cito deesse Deo.
Pars fuit Illyrici, quam nunc vocat incola Bosnam,
Dura sed argenti munere dives humus.

Non

Vulg. v. 43. Turcae. v. 47. etiam tunc.

Non illic virides, ſpatioſo margine, campi,
Nec ſata qui multo foenore reddat ager;
Sed rigidi montes, ſed ſaxa minantia coelo,
Caſtella et ſummis, impoſita alta, jugis.
Hanc tunc invicto tutam munimine terram,
Quam vix excindi fulmine posſe putes,
Ceperat ille ferox hac ipſa aeſtate tyrannus,
Principis et miſeri demſerat enſe caput.
Huc feror, et regni confeſtim ſede potitus,
Cetera partitis viribus aggredior.
Arx erat impendens captae modo moenibus urbis,
Praeſidio et poſitu non adeunda loci.
Admoveo illius tormenta tonantia muris,
Sed tamen obſesſos machina nulla movet.
Quid tibi nunc memorem, quam ſaepe e turribus altis,
Iactarunt crebras tela imitata nives?
Quidve loquar quoties auſi prorumpere noctu,
Haud parva excubiis damna dedere meis?

Non

Vulg. v. 68. Iactarint.

Non illos validi ſtridens aquilonis hiatus,
Nec domat hiberno ſidere triſte gelu.
Continuus donec labor et penuria lymphae,
Infregit tandem pectora dura virûm.
Venerat alma dies, peperit qua Virgo ſalutem,
Nuntius optatae deditionis adeſt.
Ergo agimus laeti geminato gaudia feſto,
Ac feſſis naſci eſt, altera viſa ſalus.
His demum exactis, patrias remeamus ad oras,
Nec dabimus lentae, tempora longa morae.
Nam ſimul aſſtrictas Zephyrus regelaverit undas,
Fuderit et molli gramina prima ſolo;
Noſtra virens iterum tentoria campus habebit,
Forſitan auxilium cetera turba feret.
Ut tamen ipſe refers, nemo eſt ſub tegmine coeli,
Qui ſtudeat noſtris addere rebus opem.
Gallia dormitat, nec curat Iberia Chriſtum,
Anglia gentili ſeditione ruit.

Im-

Vulg. v. 71. alios.

Improba conventus Germania cogit inanes,
Permutat merces, Itala terra, fuas,
Nec quenquam praeter Venetos ea cura remordet,
Quos jungunt fatis, foedera parta, meis.
Hos dudùm audimus moliri nobile bellum,
Horum jam multa Nerea clasfe tegi.
Sed meus a reliquo longe ftatus ordine differt,
Nec volo, nec posfum, fi piger esfe velim.
Turcorum noftro nimium gens proxima regno,
Securos nobis non finit ire dies.
Hanc ego perpetuis ftatui infectarier armis,
Mollia propofito fint modo fata meo.
Magnifici fic alta jubent exempla parentis,
Sic facer aeternae relligionis amor.
Talis Romanum Poenus jurarat in hoftem;
Talis in invifos ultor Atrida Phrygas.
Nec prius abfiftam coeptis, fi vita fuperfit,
Quam pulfus, Phryxi trans mare, Turcus eat.

Quan-

Vulg. v. 89. Proxima. v. 97. Turcarum.

Quanquam non ſolos is perdere nititur Hunnos,
Sed Chriſtum immenſo quisquis in orbe colit.
Praecipue Heſperiam votis petit omnibus unam,
Quam ſua ſi mittat ſub juga, cuncta domet.
Nam poſtquam Eoae posſedit moenia Romae,
Occiduam pariter ſubdere fidit atrox.
Hanc ferro, hanc rapidis inhiat ſubvertere flammis,
Fecit ut ante Senon, fecit ut inde Getes.
Quare age magnanimi conſurgite quaeſo Latini,
Neve cadat veſtro tempore avitus honos.
Vidit ab occaſu ſol omnia, vidit ab ortu,
Veſtrorum quondam ſub ditione patrum.
Nec tam ulli debent lapſo ſuccurrere mundo,
Quam mundi imperium qui tenuere prius.
Nonne pudet, veſtrae, quod mater Graecia, lingvae,
Barbarico diſcit frendere verba ſono?
Quod veſtrae, veneranda ſoror, ſeu filia, Romae,
Iam pridem ſerva eſt, quae domina ante fuit?

Si

Vulg. v. 107. Non etiam.

Si vos nulla movet priſcarum gloria rerum,
Proximitas hoſtis, jure movere poteſt.
Gallia ſi dormit, vel Iberia, nil ego miror,
Neutra eſt inſtanti nempe propinqua malo.
Mene adjuturos auſim ſperare Britannos,
Quos procul extremus ſubmovet Oceanus?
Ipſa autem nunquam favit Germania nobis,
Quin potius votis obſtitit illa meis.
Vos et communis, vicinia certa, pericli
Mutuus et nobis conciliavit amor.
Nec dubito Italiam praeſtare vel omnia ſolam
Poſſe, ubi tot populos, tot liquet eſſe duces.
Sunt illic acres, Genuae diſcordis, alumni,
Oppida ſunt Tuſcis, libera multa, plagis.
Sunt Veneti, dominos gens aequatura Quirites,
Unde volant toto, roſtra Liburna, mari.
Eſt illic, veteris retinet qui frena Tarenti,

Eſt

Vulg. v. 131. nunquid. v. 132 Cum tamen heu! regno juncta ſit illa meo.

Eſt magni Alfonſi regia progenies.
Eſt pater ille Pius, rerum cui ſumma poteſtas,
Pontificum princeps, Urbis et orbis apex,
Eſt qui te placida, Ferraria, pace gubernat,
Eſt qui te forti, Mantua, Marte regit.
Multi praeterea clari virtute, ſed omnes
Supra, Sforciades nobile nomen habet.
Sunt et opes Latio, reliquum nec tanta per orbem,
Humanum ferme poſſidet omne genus.
Quocirca unanimes trepidum properemus in hoſtem,
Magna manent terra praemia, magna polo.
Vita polo, quae nos ſervet ſine fine beatos,
At terra innumeris laus cumulata bonis.
Nos patriae tamen, et fidei, non deerimus unquam,
Seu magnam, exiguam ſeu tuleritis opem.

Vulg. v. 156. ſive feratis.

De

De ſe aegrotante in caſtris,
A. MCCCC LXIIII.

ELEGIA IX.

Caſtra ſequor vates, non ſpicula, caſtra ſequentem
Terrent, nec celeri barbarus hoſtis equo,
Triſtia ſed dirae torquent incendia febris,
Saevior et ferro, pectora flamma premit.
Seu vivis; ſit amara diu tibi vita, Prometheu,
Sive jaces; durus degravet oſſa lapis.
Tu generi humano tantorum cauſa malorum,
Abs te feralis gentibus orta lues.
Ante nec inſani vexabant corpora morbi,
Lurida nec macies nec dolor ullus erat.
Avia tunc nemorum mortalis turba colebat,
Inter montanas inviolata feras.
Quippe cibos rami praebebant, pocula rivi,
Antra caſas, mollem, gramina laeta, torum.

Nulli tum arcanas radicum noſcere vires,
Herbarum aut medicas vellere cura comas.
Nec cuiquam ſtudium varios contundere ſuccos,
Ulcus et artifici perſecuisſe manu.
Necdum etiam presſae redolenti merce carinae,
Portabant rubri, quod creat ora, maris.
Vita rudis, ſed ſoſpes erat, nec tabida peſtis,
Anguſtum fati praecipitabat iter.
Sera ſed annoſae, cum venerat hora, ſeneƈtae,
Solvebat placidus, langvida membra, ſopor.
Tu poſtquam aetheria nitidi de lampade ſolis,
Subduxti aſtuto, lumina ademta, dolo,
Mox letum et leti cauſas diffudit in orbem,
Vindex decepti ſcilicet ira Iovis.
Iure igitur Scythica vinƈtus ſub rupe ſedebas,
Qua riget aeterno ſqualida zona gelu.
Nec quicquam Alcides minus hoc laudabile fecit,
Quam quod in ultricem, tela tetendit, avem.

Ve-

Vulg. v. 17. confundere. v. 18. praeſecuisſe. v. 25. aetherea.

Verum prisca nimis queror, et communia cunctis,
Ista fuit culpae, debita poena, meae.
O ego ter demens, umbra qui et pace relictis,
Tentarim lituos, et fera bella, sequi!
Hic Labor, et pallens Metus, et deformis Egestas,
Hic Furor, et vultu, Mors violenta, truci.
Nec dubito, quin sol, quin aura, et pulvis et imber,
Laeserit insvetum, talia ferre, latus.
Quanto erat o melius densave sub ilice fusum,
Aut ubi rauca levi murmure lympha sonat,
Nunc his, nunc illis mentem oblectare libellis,
Pomave curvatis demere ab arboribus.
Dicebant multi; quae te vecordia ducit?
Quo raperis? nervos consule, tiro, tuos,
Scyria celatum quam lana decebat Achillen,
Herculis aut validas, Lydia pensa, manus,
Tam femori gladius, capiti tam fulgida cassis,
Fraxina tam dextrae, convenit hasta, tuae.
Ast ego praecludens monitis veracibus aurem,

Aptabam ſuris, aerea ſuta, meis.
Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam,
Nec niſi ferrato, ferreus ire, fero.
Ergo animis fruor ipſe meis, et juſta profecto
Optatae caplo praemia militiae.
Dum loquor, horridulos ſenſim rigor occupat artus,
Sentio tormenti, praevia ſigna, mel.
Iam labra plus multo livent, jam mucidus alget
Naſus, et incusſae concrepuere genae.
Nec minus ima pedum, manuum quam ſumma gelantur,
Acrius et longe, quam modo, vena ſalit.
Adjicite o famuli, tremulis velamina membris,
Poſt licet exigua rejicienda mora.
Quin jam flagranti penitus ſuccendimur aeſtu,
Sulfura ut admotas, cum rapuere, faces.
Nec late vibrata ſemel cito flamma reſidit,
Mulciber ut ſiccis cum ſtrepit in foliis,

Sed

v. 52. Quidam legit: ſura.

Sed manet, et miſeras, urit ſine fine, medullas;
Tolle moleſta procul pallia, tolle puer.
Num me flammivoma, quisquam Deus obruit, Aetna?
Per mea num Phlegethon viſcera forte fluit?
Uror Iõ, immenſum reſtingvite fluctibus ignem,
Da gelidum laticem, ſi quis amicus ades.
Nunc quicquid volvunt Tagus, et Pactolus et Hermus,
Vilius eſt gutta frigidioris aquae.
Talis in Oetaei Tirynthius aggere buſti,
Arſit Nesſea ſaucius a tunica.
Crudeles Superi! merui quo crimine tantum?
Quidve in me vobis diſplicuiſſe poteſt?
Si ſcelera odiſtis, removete cruenta latronum
Agmina, ſacrilegos, tollite mille viros.
Me ſervate, precor, Phoebi pia ſacra colentem,
Dum ſaltem in lucem carmina noſtra volant.
Plurima ſunt nobis, ſummam poſcentia limam,
Sunt quae dimidia parte parata manent.

Si

Vulg. v. 84. volent.

Si vos ingenium, si florida tangeret aetas,
Si species, certe vivere dignus eram.
Quanquam haud infitior, patravimus improba quaedam,
Improba, non nimium flagitiosa tamen.
Verum quicquid id est, meminisse absistite, si quem
Poenitet, hoc ipso desinit esse nocens.
Oramus frustra, nec talibus atra movetur
Atropos, et ventis irrita verba damus.
Agnosco vicina meae confinia vitae,
Spiritus et, numero deficiente, fugit.
O coelum! o colles, et amicti gramine campi!
O vitrei fontes, o virides silüae!
Ergo ego vos dulci, pariter cum luce relinquam,
Nec reliquum de me jam, nisi nomen, erit?
Heu! quod nec frater, nec adest soror optima nobis,
Quae digitis oculos condat, et ossa legat.
Tu vero multum felix carissima mater,
Cui cadere ante meas, contigit, exequias.

Quid

Vulg. v. 94. vota.

Quid nunc? quid faceres, ſeu praeſens iſta videres,
Sive esſet ſubiti, nuntia fama, mali?
Huc age ceratas, quam primum afferte tabellas,
Quîs animi tradam, vota ſuprema, mei.
At vos defuncto tumulum componite amici,
Roſcida qua multo gramine vernat humus.
Frondoſos inter ſaltus, et amoena virentis
Prata ſoli, et Dryadum concelebrata choris.
Asſidue Zephyri ſpirent ubi mitibus auris,
Semper ubi argutae, ſvave querantur, aves.
Quin etiam tacita jaceam ne ignotus in urna,
Signari hoc cineres carmine mando meos:
Hic ſitus eſt Ianus, patrium qui primus ad Hiſtrum,
Duxit laurigeras, ex Helicone, Deas.
Hunc ſaltem titulum, Livor, permitte ſepulto,
Invidiae non eſt in monumenta locus.

Conqueſtio de aegrotationibus ſuis, in Menſe Martio A. MCCCC LXVI.

ELEGIA X.

Ergo ego quae nobis fuerint data tempora vitae,
Infelix inter tot mala ſemper agam?
Semper erit, noſtras urat quae flamma medullas?
Nunquam ego non aeger, nunquam ego ſoſpes ero?
Ut taceam mater pia quae narrare ſolebat,
Aetatis tenerae mille pericla meae;
Reddiderat patriae reducem vix Itala tellus,
Damnavi reditus protinus ipſe novos.
Nam male profluvio ventris cruciatus amaro,
Turbavi attonitae, gaudia paene, domus.
Mox avibus laevis regalia ſigna ſequenti,
Funeſtae tantum non ſonuere tubae.

Sic

Vulg. v. 12. cantum.

Sic gravis, heu! miſerum flammaverat hemitritaeos,
Tantus in accenſis oſſibus ardor erat.
Saevior en rurſus capiti Fortuna minatur,
Incolumi tanquam faverit illa diu.
Quippe velut telis, coſtae punguntur, acutis,
Sputa ſimul large ſangvinolenta fluunt.
Additur his, pulmo quod vix reſpirat anhelus,
Nec tamen interea torrida febris abeſt.
At ſopor almus abeſt; nec luce aut nocte quieſco,
Sed vigil horrendis vexor imaginibus.
Triſtia moroſi lucratur taedia morbi,
Aeger, cui presſit langvida membra quies.
In me nulla truces interpolat hora dolores,
Cogor et in gemitus pervigilare meos.
Sic quondam Libyca, fidei ſervator, in urna
Traditur abſciſis excubuisſe genis.
Qualis erit nobis (ſi forte erit ulla) ſenectus,
Cum ſit in asſiduis, prima juventa, malis?

Tri-

Vulg. v. 28. abſcisſis.

Tricenis geminos tunc annumerabimus annos,
Cum peraget ſenas, menſtrua luna, vias.
Tollite me potius, nec in hos ſervate labores,
O ſi quos tangunt inferiora, Dei!
His ego cum poenis vel Croeſi regna recuſem,
His ego cum poenis, nec Deus eſſe velim.
Nam quid me tam dura inter tormenta juvarent,
Ambroſiaeve dapes, nectareuſve latex?
Ipſa miniſtraret nobis licet Herculis uxor,
Pennatove Iovi raptus in aſtra puer.
Vita valetudo eſt; jugi qui peſte laborat,
Non vivit, lenta ſed mage morte perit.

v. 37. Quidam: juvaret.

Ad Somnum.
A. MCCCC LXVI.

ELEGIA XI.

Cimmeria ſeu valle jaces, ſeu Noctis opacae,
Axe ſub occiduo mollia ſtrata premis;

Seu

Seu tua, gentili madidum te nectare, Lemnos,
Pasitheae tepido detinet in gremio;
Seu Iovis ad mensas, resides conviva, supernas;
Inter siderei, Numina sancta, poli;
(Nam quis tam mitem crudelibus inferat umbris,
Orci qua fauces, horrida monstra tenent?)
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum!
Huc ades, et placidus, langvida membra leva!
Septima jam fulget pulsis aurora tenebris,
Pectora ut in duro volvimus aegra toro.
Multum equidem morbus, sed plus insomnia torquet,
Ante diem vires, obruit illa, meas.
Quod modo corpus erat, nunc est cutis ossibus haerens,
Nunc tantum larva est, qui modo vultus erat.
Comprimo saepe genas, et lentum invito soporem,
Nec tamen in pressas, labitur ille, genas.
Tantum dira meis monstra obversantur ocellis,
Quis nasi ingentes, et Stygiae effigies.

Qua-

v. 13. Quidam legit: torquent.

Quales Alcmaeon, quales cernebat Orestes,
Quales tu caeso, Romule moeste, Remo.
Immites Superi! faciles, per litora phocas
Sternitis, et gliri, tota cubatur hyems.
Iam pecudum vobis, major quam, cura virorum,
At genus hoc vestrae semina stirpis habet.
Si tamen Endymion triginta dormiit annos,
Causa erat, ut Lunae gaudia longa forent.
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum,
Huc ades, et placidus langvida membra leva!
Quod fuit humanae, totum tentavimus, artis,
Inventa est nostri, nulla medela, mali.
Nil rosa, nil violae, nil semina lactucarum,
Nil me, cum lolio juvit hyoscyamus.
Frustra aloë, frustra nobis fragravit anethum,
Nec gelidis linier profuit ungvinibus.
Non habuere suas in me ulla papavera vires,
In me mandragorae non habuere suas.

Er-

V. 21. Quidam legit: Alcinous. v. 36. quidam: *imber*, pro, linier.

Ergo ego vel Phariae possim perferre venenum
Aspidis, unde tibi mors, Cleopatra, fuit.
Blanda nec arguta Siren me voce resolvat,
Nec Circe Aeaeis daedala graminibus.
Nec si pollenti tangat mea corpora virga
Mercurius, tactu quo, vigil Arge, jaces.
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum!
Huc ades, et placidus langvida membra leva!
Te Lethaea, parens ad flumina, progenuit Nox,
Cyaneos multo sidere picta sinus.
Praebuit et plantis alas, et cornua fronti,
Ac ferrugineam texuit ipsa togam.
Addidit et comites, totis tibi moribus, aptos,
In quibus est segnis Torpor et uda Quies,
Sunt et mordaces pulsura Oblivia curas,
Sunt testudineos Otia nacta pedes.
Muta sed in primis tibi adesse Silentia jussit,

Assi-

Vulg. v. 42. Eois. v. 43. tempora. v. 44. qua tu pervigil v. 51. quidam: viribus.

Aſſidue murmur quae procul omne fugent.
His tu, quicquid agis, ſemper ſtipare miniſtris,
His, quicquid toto vivit in orbe, domas.
Huc ades, o hominum, ſimul et rex, Somne, Deorum!
Huc ades, et placidus langvida membra leva!
Serus ab obſcuris te ſuſcitat Heſperus antris,
Clarus in atra iterum Lucifer antra fugat.]
Luce vacas ipſive tibi, dulcive Lyaeo,
Facta e nigranti fulcra premens hebeno.
In tenebris volitas, et latum ſpargis in orbem,
Lecta ſoporiferis grana papaveribus.
Quae poſtquam in terras ceciderunt; oppida et urbes,
Aequoris et fluctus, et nemora alta ſilent.
Tu potes et patulo luctantes aëre ventos,
Tu potes et rapidi ſiſtere Solis equos.
Si libeat, ſtabunt jam fuſi nubibus imbres,
Haerebunt medio, fulmina torta, polo.
Te quondam cuſtos aurati velleris hydrus,

Sen-

Vulg. v. 56. fugant.

Senſit, et angvineis, torva Meduſa, comis.
Dum tibi victa fovet Tithonum longius Eos,
In Iovis officium, Nox geminavit iter.
Huc ades, o hominum, ſimul et rex, Somne, Deorum!
Huc ades, et placidus langvida membra leva!
Non ego te hoſtiles jubeo defigere turmas,
Caedibus ut ſubitis caſtra inimica premam.
Fraude nec audaci magnum ſopire Tonantem,
Iunonis toties quod meruere preces.
Vel cum decepto Tirynthia vela marito,
Egit ab Iliacis, litora Coa, vadis;
Vel cum cedentes Phrygibus miſerata Pelaſgos,
Callida in Idaeis rupibus accubuit.
Obſequium poſco, Divûm quod nemo queratur,
Quod pater aethereus conſulat ipſe boni.
Obſequium poſco, tutum tibi et utile nobis;
Nam nec ſervari per tua damna velim.

Quod

Vulg. v. 75. juncta.

Quod niſi tu noſtros claudas paulliſper ocellos,
Aeternum claudet mox tua furva Soror.
Huc ades, o hominum, ſimul et rex, Somne, Deorum!
Huc ades, et placidus langvida membra leva!
Non ingratus ero; Viridi de ceſpite ſurget,
Fumatura tuis, haud ſemel ara, ſacris.
Hic tibi ponetur tenerum jecur anſeris albi,
Altera criſtatus victima gallus erit.
Haec ſuper adjiciam flavi duo cymbia mellis,
Ac totidem lactis cymbia mixta mero.
Alme pater rerum, miſerae pars optima vitae,
Mens ſimul et corpus, quo recreante, vigent,
Index venturi; ſuperas qui mittis ad oras,
Somnia, per geminas, illa vel illa, fores;
Sic tibi parva dies, et ſit nox annua ſemper,
Nec deſit longae copia deſidiae;
Sic ſine fine, tuo facilem ſe praeſtet amori

In-

V. 105. Quidam: Sit---ſit.

Inter Acidalias maxima Naïadas;

Huc ades, o hominum, ſimul et rex, Somne, Deorum!

Huc ades, et placidus langvida membra leva!

Vulg. v. 108. Naiades.

Ad Animam ſuam,
A. MCCCC LXVI.

ELEGIA XII.

Mens, quae lactiferi niveo de limite circi,
Fluxiſti has noſtri corporis in latebras,
Nil querimur de te, tantum probitate refulges,
Tam vegeto polles nobilis ingenio.
Nec te, dum porta Cancri egrederere calentis,
Lethaeae nimium proluit humor aquae.
Myſtica qua rapidum tangit cratera leonem,
Unde levis veſtrum linea ducit iter.
Hinc tibi Saturnus rationem, Iupiter actum,

Mars animos, ſenſum Phoebus habere dedit.
Affectus Erycina pios, Cyllenius artes,
Augendi corpus Cynthia vim tribuit.
Cynthia, quae mortis tenet et confinia vitae,
Cynthia ſidereo, ſubdita terra, polo.
Carnea prae coelo, ſed ſi tibi teſta placebat,
Hac melior certe teſta legenda fuit.
Nec me ſtaturae, vel formae poenitet hujus,
Sat ſtatura modi, forma decoris, habet.
Poenitet infirmos teneri quod corporis artus,
Molle Promethea, texuit arte, lutum.
Nam mala temperies diſcordibus inſita membris,
Diverſis, cauſas dat ſine fine, malis.
Continua ex udo manat pituita cerebro,
Lumina, neſcio quo, ſaepe fluore madent.
Effervent renes, et multo ſangvine abundat,
Sub ſtomacho calidum frigidiore jecur.

An

Vulg. v. 10. Phoebus abunde dedit. v. 15. quidam: pro. Vulg. v. 18. modum.

An te forte ideo gracilis compago juvabat,
Ut saperes, tenui carcere clausa magis?
Sed quid in aegroto sapientia pectore prodest?
Non ego cum morbo Pittacus esse velim.
Nec molem Atlantis cupio, roburve Milonis,
Sim licet exilis, dummodo sospes agam.
Aut igitur commissa diu bene membra foveto,
Aut deserta, cito rursus in astra, redi.
Verum ubi millenos purgata peregeris annos,
Immemoris fugito pocula tarda lacus.
Tristia ne priscis reddant te oblivia curis,
Neu subeas iterum vincla reposta semel.
Quodsi te cogent immitia fata reverti,
Quidlibet esto magis quam miserandus homo.
Tu vel apis cultos, lege dulcia mella, per hortos,
Vel leve flumineus concine carmen olor.
Vel silvis pelagove late; memor omnibus horis,
Humana e duris corpora nata petris.

De

Vulg v. 43. latens.

De Inundatione.
A. MCCCC LXVIII.

ELEGIA XIII.

Tantus ab aſſiduis, quid vult ſibi, nubibus imber?
Quid tempeſtatum copia tanta parat?
Unde tot humores nebulis? tot nubila coelo?
Quando potens madidi, tam fuit aura Noti?
Quiſve unquam tantum variae bibit Iridis arcus?
Pontus an arcana ſcandit in aſtra via?
Saepe exhalatos, ima de parte, vapores,
Smintheos igniferi ſuſtulit acre jubar.
Nec potuit tantum radiis conſumere, quantum
Traxerat, in tenues, ſed ſolüit pluvias.
Non tamen a levibus, manant tam grandia, cauſis,
Nec de conſvetis, rara venire ſolent.

Iſte

Vulg. v. 6. in. v. 10. *et* pro *ſed.*

Iſte poli furor eſt, iſta eſt gravis ira Deorum,
Aëris et fluxus, ſidera ſumma juvant.
Nunc omnes Hyades, Haedi ambo, totus Orion,
Liquitur, et Delphin aequora multa vomit.
Nunc pariter geminas inclinant funditus urnas,
Hinc pater Eridanus, Troïus inde puer.
Aut certe ſuprema alti convexa tegentes,
Aetheris, in terras praecipitantur aquae;
Ingeminant denſi, valido ſic turbine, nimbi,
Sic agit abruptum, machina laxa, Iovem.
Infelix deflet non unum ruſticus annum;
Nam tritura ſimul cum ſatione perit.
Squalentes nuda, marcent in vite, racemi,
Putris et effuſo, diffluit uva, mero.
Deficiunt pecudes, et clauſi millia vulgi,
Urbibus in plenis, obſidet atra fames.
Dum queror, incubuit gravior metus; en vaga late,
Excurrunt victis flumina litoribus.

Ac

Vulg. v. 17. inclinat. v. 28. impletis.

Ac primum valles, et plana jacentia complent,
Mox etiam campis editiora premunt.
Nec jam de totis, niſi ſumma cacumina, ſilvis,
Extant, et rapido gurgite pulſa tremunt.
In tumulos fugere ferae, fugere volucres,
Pellit et e tumulis has tamen unda ſequax.
Quadrupedum piſces ſubeunt loca; volvitur ingens
Pelamys, in luſtro dente minantis apri.
Collecta in ſpirae nodos angvilla recumbit,
Auritus jacuit qua modo parte lepus.
Vulpinam cancer foveam petit; ova natantûm
Nunc gerit, alituum, qui tulit ante locus.
Ludimus. Innumeros hominum nova fata paventes,
Cum grege, cum ſtabulis, corripit uda lues.
Pagus erat, ſubito palus eſt, et merſa profundo,
Quaerunt montivagi culmina ruricolae.
Nec res ulla magis miſeros, ſpe perdit inani,
Dum mala crementum non habitura putant.

Huic

Vulg. v. 43. Vidimus.

Huic nimium celſae fidenti margine ripae,
Subſedit media ſubruta nocte domus.
Tranſtulit ille lares ſublimis in ardua clivi,
Cautus, et, hoc, inquit, vertice tutus ero.
Parva mora eſt, et parte omni ſurgentibus undis,
Nec, ſtet ubi, nec, quo progrediatur, habet.
Iam Savus et Mariſus, jam Dravus et ipſe Tibiſcus,
Inter et Arctoas, maximus Hiſter, aquas;
Terrarum quamvis longo diſcrimine diſtent,
Confuſis, inter ſe coïere, vadis.
Noſcere nec posſis, ubi rus, ubi collis, ubi arbor,
Omnia ſic facies aequoris una tegit.
Haud ſecus Emathiam Penei ſtagna tenebant,
Unus cum vertex Osſa et Olympus erat.
Pasſa ſub Ogygio, eſt aliud nec Graecia, regno,
Inachiae ſi quid credimus hiſtoriae.
Tale fuit Latium tunc, cum ſuperantibus Umbris,
Auſoniam gemini, condidit unda, maris.

Vulg. v. 49. Hinc. v. 65. undis.

Nimirum natura ſuas praepoſtera leges
Vertit, et autumnus veris ademit opus.
Vere tument amnes, et per montana voluti,
Lubrica, terribili murmure, ſaxa rotant.
Iam tepidum extremi cum ſolvunt aëra piſces,
Cum zephyro afflatae, dimaducere nives.
At modo ſuccesſit flavae vindemia mesſi,
Coepit et aequatum, nox ſuperare diem.
Nunc etiam torrens Nilus redit, et pia Memphis,
Reddit lunato, myſtica ſacra, bovi.
Pannoniae in fluvios pluvialia toxica miſit
Iam refugis Phoebi Scorpius uſtus equis.
Quanquam non ſolis illos reor imbribus auctos,
Nec tantum guttas evaluisſe leves;
Sed penitus gravidas terrae patuisſe cavernas,
Cuſpide percusſas Ennoſigaee tua.
Quicquid et in venis cava celat abysſus opertis
Lympharum, ad ſuperas emicuisſe plagas.

Hoc

Vulg. v. 68. opes. v. 80. evoluisſe.

Hoc nobis, hoc nempe atri nova cauda cometae,
Eſt nuper longa vaticinata juba;
Qualis tunc, Helicen cum et Buran ſorbuit aequor,
Vicini caſus nuntia ſigna dedit.
Cum Thetis ignotas ſtupuit ſub marmore turres,
Dormiit et medio phoca ſupina foro.
Quid tamen o Superi? noſne haec tantummodo clades,
Tot petit e populis, quos alit uber humus?
An totum involvit ſtrages ſimul unica mundum?
Imus et illuxit gentibus iſte dies?
Si pereunt omnes, nec nos ſuperesſe rogamus,
Aequo animo quivis, publica fata ſubit.
Sin ſoli, luimus communia crimina, Chuni;
Humanum, nobis dulce piare, genus.
Sed partis non esſe malum, docet ipſa mali vis,
Tanta mole decet non niſi cuncta rapi.

Nunc

Vulg. v. 86. longa nuper. v. 87. Helicen cum Buran. v. 89. de. v. 92. an populos. v. 97. Sin Hunni luimus c. c. ſoli. v. 100. Tanta docet moles.

Nunc et lata natat fuſo, Germania, Rheno,
Sarmaticum Tanain nec ſua ripa capit.
Proluit et Rhodanus Gallos, et Baetis Hiberos,
Nec Padus Heſperiis clauditur aggeribus.
Acer et Argolicas ſupra furit Inachus urbes,
Improbe, nec parcis Thracibus, Hebre, tuis.
Nunc Indi ſub Gange jacent, ſub Tigride Parthi,
Sub Cydno Cilices, et ſub Oronte Syri.
Nec ſic eſt unquam pontem indignatus Araxes,
Nec ſic Cappadocas turbidus hauſit Halys.
Major in inviſum nec crevit Xanthus Achillen,
Diffudit tantas, ante nec Hermus, opes.
Sicca prius, nimios incuſans Africa ſoles,
Mutata nimias, nunc vice, damnat aquas.
Saevit in hanc olidus Cinyps, et Bagrada monſtro
Nobilis, et Triton, caſta Minerva, tuus.
Ac Gir, Divûm hoſpes, cum ſpreto nectare coeli,
Aethiopum viles appetiere dapes.

Flu-

v. 117. Totum diſtichon repoſitum eſt e MSto.

Flumina sed levius, pelago cessante, nocerent;
Eminet e totis, insula nulla, fretis.
Non pomosa olim Corcyra, nec impia Lemnos,
Non indeprensi, conscia Creta, Iovis.
Non Sardo aut Cyrnos; nullos, restincta profundo,
Flammarum eructat Sicelis Aetna, globos.
Vasto iterum Rhodos est, iterum sub gurgite Delos,
Tristia nec ratibus navita saxa timet;
Non Libyeis alte stantes in fluctibus aras,
Non vestrum, Syrtes, magna minorve, vadum.
Quin ipse Oceanus, rerum genitalis origo,
Qui certa ambitam, lege coërcet, humum,
Transilit per tot servatos secula fines,
Nec satis ora sibi quatuor esse putat;
Per quae se possit mediis immittere terris,
Sed passim ruptis ingruit obicibus,
Non qualis refluo, Cimbros aut Santonas, aestu
Territat, ad motus, menstrua luna, tuos,

Ve-

Vulg. v. 123. Cyrne--nullo. v. 124. Sicilis.

Verum quantus erat, cum sidera celsa petentes,
Obruit impulsis montibus angvipedes.
Ille et frondosos saltus jam mersit Eoae
Taprobanes, ipso cum grege dentifero.
Mersit et adversos, tecum Iuverna, Britannos,
Nec fortunatis temperat a populis.
Illius immensis jam fluctibus astrifer Atlas
Tunditur, et collo non bene fulcit onus.
Nec dubito coeptum, Fortuna urgente, tenorem,
Quin vivum, toto restet in orbe, nihil,
Sed quicquid tellus, quicquid levis educat aër,
Omne vagis fiat praeda natatilibus.
Ullo Carpathius potuit nec tempore vates,
Tam nitidum dominis annumerare pecus.
Ergo vetus veterum verax est dogma sophorum;
Saepe homines igni, saepe perire salo;
Deleri et toties, toties deleta renasci,
Omnia, Phoebeae scilicet instar avis;

Quae

Vulg. v. 153. Deleri toties.

Quae ſe morte parit, vitam cui funera reddunt,
Natalem cineres, ultima principium.
Nec certum quis ſcire poteſt, quotus iſte ſeneſcat
Mundus, adhuc quot erunt, quotve fuere prius.
I nunc, ventoſae petitur cui gloria famae,
Caſurum nullo tempore nomen ama!
Cum tibi ſive toga partum, ſeu Marte cruento,
Tangere non valeat ſecla ſecunda, decus!
Nec ventura minus te neſcitura ſit aetas,
Quam Phaëthonteas, quae fuit ante faces.
Magne Deûm genitor, tantos qui fuſus in artus,
Vitali, hoc ingens, flamine corpus alis;
Qui propria humanas dignatus imagine mentes,
Noſtra ad cognatos, erigis ora, polos;
Nonne ſemel ſtabili, mundum tu, pace ligaſti?
Iam tum, pulchra rudi, cum data forma chao eſt?
Frigida ne calidis inſtarent, humida ſiccis,
Sed par temperies conciliaret opus.

Nunc

Vulg. ℣. 166. Vitali ingenuum.

Nunc adeo nil flamma et humus, vereamur ut omnes,
Ne fiant unus, cuncta elementa, latex.
Nonne semel firmo sanxisti foedere pactum,
Diluvio haud ultra perdere velle tuos,
Dum picturato signaret nubila tractu,
Iunoni gratae semita curva Deae?
Aspice nunc, et quem nunquam sententia vertit,
Promissis memorem mitibus adde fidem.
Quodsi fatali constrictum lege teneri,
Parcarum et tabulis scis superesse trium,
Quondam submersas, tantum succendere, terras
Ut possis iterum; quid vetita arma moves?
Sin rerum jam finis adest, jace solus ab alto,
Facta Pyracmonia, tela trisulca, manu.
Undosam cohibe pestem; revocetur in antrum
Auster, et expurgent Thracia flabra diem;
Fluctibus et reduces, Tritonia concha, receptus,
Neptuno gentes jam miserante, canat.

Vota

Vulg. v. 181. constrictus - teneris. v. 182. in. v. 188. tandem.

Vota nihil proſunt; et quae fert omnia ſecum,
Haec eadem noſtras, fert ſimul unda, preces.
Ecce magis, dirus, magis ecce ad ſidera, pontus,
Se levat, et tantum non, juga ſumma premit.
Iam jam contigui jungentur nubibus amnes,
Nec ſpatium, per quod defluat imber, erit.
Surge age cara ſoror, ſuperantem nubila Olympum,
Scandamus, celeri, dum licet, ambo fuga.
Vel Parnaſiacae, potius faſtigia, Cirrhae,
Altior eſt lymphis omnibus ille locus.
Hic ego poſt tergum lapides, magnae oſſa parentis
Iactabo, extinctos et reparabo viros.
At tu femineam renovabis femina turbam
Saxa pari mittens, ſed leviora, manu.
Sic ego Deucalion, ſic tu Pyrrha altera fies,
Sic erimus mundi, ſemina prima, novi.

De Arbore nimium foecunda.
A. MCCCC LXVIIII.

ELEGIA XIV.

Illa ego, quae recto coelum modo vertice adibam
Arbor, humum pronis verro cacuminibus.
Nec me externa gravant alienae pondera molis;
Sed premor infelix, foetibus ipsa meis.
Evertere alias cum saevis fulmina flabris,
Fertilitas nobis exitiosa venit.
Mansissem incolumis; si non foecunda fuissem,
Nunc jaceo propriis obruta pignoribus.
Nec jam aliud superest, nisi ut atra caesa bipenni,
Ingerar igniferis officiosa focis.
Quam nucis est pejor mea sors; ego laedor ab ipsis
Fructibus, ob fructus laeditur illa suos.

Hac

Vulg. v. 2. parvis. v. 11. Quo.

Hac mercede fuit genitrix Agamemnonis uxor,
Vel quae celatum, misit in arma, virum.
Talia de natis referent si praemia matres,
Sacra ubi naturae jura potentis erunt?
Scilicet haec ratio est, nolint ut gignere nuptae,
Ut medio crescens ventre necetur onus.
Dira utinam nostros ussissent frigora flores,
Tum, cum prima novo germina vere dedi!
Aut ubi mox teneris stabam densissima baccis,
Ventus abortivas diripuisset opes!
Praeberem vacuas aestum vitantibus umbras,
Maximus hinc platanis conciliatur honos.
Vos ego proceri, moneo, pulcherrima trunci
Ligna, quibus late brachia longa patent;
Pomiferam cultis laudem ne quaerite in hortis,
Sit vobis sterili fronde virere satis.
Poma gravamen habent, et se gestantibus obsunt,

In-

Vulg. v. 17. voluit dum gignere nupta. v. 20. Cum primum placido germina etc. v. 27. Plaudiferam.

Innocui foliis forma decoris adest.
At te qui transis, furcam supponere lapsae
Ne pigeat, stratas et relevare comas.
Saepe peregrinae fovit clementia dextrae,
Tristia cognata vulnera facta manu.
Ergo aliquod miseris, fulcimen subjice, ramis,
Forte quod hinc carpas, cum remeabis, erit.
Sic leve, quod portas, sit onus, sic ipse tuorum,
Nil unquam possis, de pietate queri!

Vulg. v. 30. In vacuis. v. 31. quidam: tu.

Threnos in Racacinum Cubicularium.

ELEGIA XV.

Currite; festinet medicus. quid, inepte, moraris
Tonsor? equo citius quam pedes ire potes.
Currite; forsan adhuc dabitur reperire calentem;
Forsan adhuc misero flatus in ore manet.

5. O-

Omnia nunc ego te, tibi per carissima rerum,
Oro; Machaonia, si quid in arte vales;
Si decus accendit, si mentem praemia tangunt,
Quanta foret nostri, sit tibi cura sui.
Incolumem quod si nobis, Henrice, repones,
Tunc mihi tu Paeon, tunc mihi Phoebus eris.
Tunc ego te magni venerabor Numinis instar,
Virbius in lucem, quo revocante, redit.
Fulmina nec metuas; perhibent nam saepe Cyclopes,
Vindictae illius poenituisse Iovem.
Iussa viri properant; Sed quo tamen omine, laeva
In terram e quercu, fusca volavit avis?
Nimirum vitam notat arbor opima Tonantis,
Nam fertur priscos glans aluisse patres.
Functorum locus est tellus; nigrantia letum
Significant; leto convenit ille color.
Quam timeo auspicium, ne quid ferale minetur!

Ni

Vulg. v. 10. Paean. v. 13. his verbis; *perhibent nam saepe Cyclopes*, menda subesse videtur. Vulg. v. 15. omine laevo.

Ni relevet melior, triſtia viſa, Deus.
O facinus! moeſti redeunt! Ne dicite quicquam.
Scimus! ineſt tacitum vultibus indicium.
Occidit infelix! Non formae profuit illi
Gratia, non leves et ſine veſte genae!
En jacet, ut riguo langvens amaranthus in horto,
Improba quem verni ſubruit aura Noti!
Aſpice quam roſeos nondum ſua purpura viſus
Liquerit! et vivus ſpiret in ore decor!
Hanc faciem feretro Pallas extentus habebat,
Talis et ante rogos Parthenopaeus erat.
Quae jam ſpes hominum? quae jam fiducia vitae?
Quo ſe momento quis putet eſſe ſuum?
Quam cito bullatae, pluvius tumor interit, undae,
Tam poſtrema cito cuilibet hora venit.
Nos longos nobis, ſtulti, promittimus annos,
Linquendas aliis et cumulamus opes;
Sic, tanquam torvi nuſquam ſint oſtia Ditis,

Nau-

Vulg. v. 31. Pallans.

Nauta nec in Stygia remiget ater aqua.
Sic, tanquam nobis Iunonia temperet Hebe,
Quod potat ſumta, Iupiter, ambroſia.
Haec nos credulitas et terris jactat et undis,
Haec noſtrae ſortis nos meminiſſe vetat.
Ille peroſus humum, pelago natat; aequoris alter
Impatiens, arvis, applicat arva, novis.
Hunc levis ambitio tumidum popularibus auris,
Ventilat; In ferrum, ferreus ille, ruit.
Exſecat hic montes, et culmina nubibus altis
Inſerit, ad Superos ſcandere velle putes.
Interea totum, Somni germana, per orbem,
Haud ulli late conſpicienda volat,
Sternit et incautas, nullo diſcrimine, gentes,
Nativa immiti vincula falce metens.
Nec viridi ſpecie, viridive aetate movetur,
Non fortem ignavo ſerius illa rapit.
Nirea Therſitae, Paridem ſed jungit Achilli,

Trol-

Vulg. v. 49. Excitat. v. 53. illi. v. 54. Naturae. v. 55. nitida ſpecie.

Trollus et tremulum mittitur ante patrem.
Hiç, hic funereos qui nunc effertur ad ignes,
Quam modo robuſtus, quam modo ſanus erat!
Non illo duras quisquam inſertare palaeſtras
Aptior, aut agili ducere frena manu.
Hoc ſibi Tyndarides dederat, Cyllenius *illud*;
Ambos nam pueri torſerat acer amor.
Nunc etiam cum jam ſupremum tempus agenti,
Fatalem legeret Perſephonea comam;
Spartanae functus juvenili munere luctae,
Per virides ierat currere laetus agros.
Illic dum laxis per devia fertur habenis,
Praecidere truces licia pulla Deae.
Praecidere Deae ſimul, et ſimul ille volucris,
Colla ſuperlapſo candida fregit equo.
Si vos Coelicolae, rerum, ſtatus ordo, juvabat,
Fata ſuper ſteriles cur ſtatuiſtis anus?

Mens

v. 61. in MSto: *inſectare.* Forte legendum: *exercere*, aut; *duris certare pal.* Vulg. v. 67. vivendi.

Mens secura fui, misereri nescit alius,
Quilibet exemplo sit pius ipse suo.
Essent si matres, audirent vota parentum,
Affectu proprius respiciente metus.
Nunc illas non turis odor, vittatave placat
Victima, non blandae, lenia verba, precis.
Ultio si pateat, si vos ego vindice possim,
Crudeles vetulae, corripuisse manu,
Dilaniem canos rugoso a vertice crines,
Confringam fusos, stamina, pensa, colum.
Disjiciam tabulas, solido ex adamante, rigentes,
Sed magis his ipsis pectora vestra rigent,
Lumine quae primo talem fraudastis ephebum,
Parsisset Libycis, cui lea foeta, jugis.
Quem nec pro catulis laesisset Caspia tigris,
Nec ferus adversa cuspide fixus aper.
Non vigil Hesperidum serpens, non bellua ponti,
Nec quicquid saevum, terra fretumve creat.

Di-

Vulg. v. 87. qui.

Dicite, qua culpa meruit tam funus acerbum?
Cujus erat tanti criminis ille reus?
Scilicet hic Delphos, Triviaeve incenderat aedem!
Mactaratve boves, Sol venerande, tuas!
Poenigenaeve ſacrum mento deraſerat aurum!
Demſerat aut ſummo, pallia fulva, Iovi!
Scilicet hic Veneris violarat vulnere dextram!
Pallada ſangvinea ſurpueratve manu!
Sanctarum aut thalamos tentarat inire Dearum!
Aut arcana Deûm garrulus extulerat!
Scilicet hic ſcopulis involverat Oſſan Olympi!
Impius Iäpeti miles et Enceladi!
Atqui nec dicto quenquam irritarat amaro,
Mitis, et innocua ſimplicitate bonus.
Sed quid vana queror? tu te, furioſe, necaſti,
Dum nunquam noſtris utere conſiliis.
Praecepi quoties, et te quam ſaepe rogavi,
Tam temere indomito, ne rapereris, equo?
Exitiale adeo nullum mortalibus aegris
Eſt animal, nullum quod mala plura ferat.

Bel-

Bella geruntur equis, vacuant quae gentibus orbem,
Quae replent Erebum, bella geruntur equis.
Hoc genus effecit, caderet ter ut Ilia tellus,
Agmine cum toto Rheſus ut occideret.
Hoc genus Hippolytum, genus hoc Phaëthonta peremit,
Cum terras patriis, uſſit et aſtra, rotis.
Ipſe Chimaereas, potuit qui vincere, flammas,
Pegaſeam fertur non tenuiſſe jubam.
Quis Diomedei crudelia pabula neſcit
Armenti, et nullo gramine pingve pecus?
Potniadum rabiem quis non audivit equarum?
Conſtat et unde nocens defluat hippomanes.
Haec ego jactabam; ſed te, tua fata, pericli
Urgebant cauſas ſemper amare, tui.
Semper tu phaleras, ſemper tu lora volebas,
Semper erat tergo dulce ſedere tibi.
Nec tergo pigrioris equi; ſed naribus ignem
Qui vomat, et ſummam vix pede ſignet humum.

Vulg. v. 123. Pontiadum.

Nec te inſuccusſi requies tam lenta juvabat
Pilenti, et remis molliter acta ratis,
Quam fuga cornipedis, quam lata vel ardua vincens
Saltus, et in gyros colla reflexa breves.
Reſpice nunc, tua quid peperit tibi grata voluptas,
Quae tibi deliciae lucra tulere tuae.
Nempe quod Elyſio volitas in pulvere victor,
Automedon curſus et ſtupet ipſe tuos.
Heu! miſerande puer, quo jam nitetur alumno
Veſtra domus, cui tu ſpes modo ſolus eras?
Quando mihi ſimilem continget habere miniſtrum?
Moribus, ingenio, ſedulitate, fide?
Morte tua totam, reſonant lamenta, per urbem,
Muta nec asſvetis perſtrepit aula jocis.
Morte tua attoniti, ſenior ſimul et puer, horrent,
Ille ſuis eadem dum timet, ille ſibi.
Sed mea praecipua formidine corda tremiſcunt,
Nulla fuit cui nox te ſine, nulla dies.
O quam ſaepe mihi reducem te ſomnia fingent!
Somnia, quae fallax irrita mittit ebur.

Saepe expergiſcens, nota te voce vocabo,
Ceu non aeternus, ſit ſopor iſte tibi.
Quin et nunc flavos, vidi ſi pone capillos,
Protinus a flavo, tu mihi, crine ſubis.
Alterius validos conſpexi forte lacertos;
Illius talis, dico, lacertus erat.
Ante igitur gelidae, mea fient oſſa, ſavillae,
Quam tua, de noſtro pectore, cura cadat.
Nec tibi, credo equidem, venient oblivia noſtri,
Non, tu ſi Lethes flumina tota bibas.
Unum eſt quod verear; nam dum mihi tempora vitae
Spondeo longa tuae; dum reor eſſe Deos;
Tardavi demens meritas tibi ſolvere grates,
Nec tribui obſequiis, praemia digna, tuis.
Forſitan et tetricam, Dictaei ad judicis, urnam,
Ingrati magno nos agis ore reos.
Parce age, parce puer; vivo neglecta, rependam
Exanimi; officium ſentit et ipſe cinis.

Si

Vulg. v. 154. et flavo.

Si mihi fas esset, quod Dis licuisse quibusdam
Traditur, in facies vertere membra novas;
Non vaga tu volucris fieres, nec turbidus amnis,
Non in flagrantes arbor itura focos;
Sed crocus aut smilax mollis, vel amaracus herba,
Sed Cephisiades, Oebalidesve fores.
Vel nova odorati prodires gloria veris,
Gloria nec violis, nec superanda rosis,
Quam produxerunt nondum Zephyritides aurae,
Quam nondum carpsit pollice Flora suo.
Nec magis e quoquam strueret sibi germine virgo,
Serta puellares implicitura comas.
Mella magis nec apes legerent e floribus ullis,
Nec magis ulla mihi dulcia mella forent.
Nunc homini quoniam non est data tanta potestas,
Accipe de domini, carmina moesta, lyra.
Carmine adhuc Attis, et carmine vivit Adonis,
Carmine Troïades, carmine claret Hylas.

Su-

Vulg. v. 174. tu Thesphides. v. 185. forte leg. Attin. in MSto: Atis.

Sume ſimul lacrymas, fratri paullo ante negatas,
His madeat tua qui contegit oſsa lapis.
Tum gemini extremo ſcribantur margine verſus,
Haud cuiquam ſiccis, verba legenda, genis:
Hic, Racacine, jaces, vati gratisſime Iano,
Hic pariter Iani gaudia cuncta jacent!

Finis Libri primi Elegiarum
IANI PANNONII.

IANI PANNONII

ELEGIARUM LIBER SECUNDUS.

(*Continet hic Liber Elegias Iani XV. et III. Titi Vespasiani Strozzae; quarum quidem nulla in MSto. Viennensi extat; sed tres priores ex Editione Frobeniana; reliquae omnes e Sambucina depromtae fuerunt.*)

Ad Apollinem, cum e pede laboraret.

ELEGIA I.

Ardua sacratae celebras seu moenia Cirrhae,
Seu colis excelsae, moenia clara Rhodi,
Parrhasium flexo, seu lustras Maenalon, arcu,
Seu Claron aut Lyciae templa sacrata colis;

5. Seu

Vulg. v. 2. excelsi.

Seu quondam aequoreis, fluitantem Delon, in undis,
Aurea ſeu magni tecta Tonantis habes;
Huc ades intonſis, Paean formoſe, capillis,
Huc ades o medicae, Phoebe repertor, opis!
Te coluiſſe mihi teneris, rogo, proſit, ab annis,
Atque Sabaea tuis, tura dediſſe, focis.
Scilicet auxilium Iuno parientibus affert,
Ruricolis dat opem Liber et alma Ceres.
Lanigeras Pan curat oves, oviumque magiſtros,
Perſephone magicis artibus ipſa favet.
Paſtorem alma Pales, miſerum Venus audit amantem,
Quique volat toto notus in orbe puer.
Facundos Hermes, bellantia pectora Mavors,
Reſpicit, et caſtos caſta Diana juvat.
Pallas verſato, ducentem ſtamina, fuſo,
Spectat ab excelſi, culmine Diva, poli.
Quisque ſuos Divûm cultores ſpectat, et illis
Propitio ſemper numine mitis adeſt.

Vulg. v. 7. intonſus.

Tu quoque, Phoebe pater, lacrymas ne ſperne tuorum,
Neu ſinito vacuas praeteriisſe preces.
Praemia digna manent; vinctum tibi cornua vittis
Taurum ad turicremos ſacrificabo focos.

De morte Andreolae, Nicolai V. Pont. Romani, et Philippi Card. Bonon. matris,

ELEGIA II.

(Hanc Elegiam, una cum aliis quibusdam, quae hoc in Libro ſequentur, ſciat Lector, aetatis admodum tenerae foetus esſe.)

Vos, quibus eſt humilem concesſum degere vitam,
Et fragiles inter conſenuisſe caſas;
Diſcite naturam, non incuſare, potentem,
Cum vobis vitae debita finis adeſt.
Reſpicit ad nullos, Lacheſis communis, honores,
Nec curam ullius nobilitatis habet,

Par-

Parcere nec ſenibus, nec parcere novit ephebis,
Non a formoſo continet ore manus.
Nulla fugat virtus Indevitabile letum;
Non coacervatas mors reveretur opes.
Nec ſcit conſpicuos gemmata veſte tyrannos,
Nec regum matres, nec trepidare ducum.
Reſpicite Andreolam, parvo quae clauſa ſepulcro,
Aequales Parcas omnibus eſſe docet.
Haec matrona fuit virtutibus inclyta ſummis,
Haec fuit aeterna clara pudicitia.
Haec gravis, haec prudens, haec integritatis amatrix,
Haec ſanctae cultrix relligionis erat.
Sed licet implerit magnis virtutibus orbem,
Plus tamen eſt natis nobilitata ſuis.
Nam peperit dextro Nicolaum ſidere quintum,
Quo Roma et totus praeſule mundus ovat.
Et te, purpureo, redimite Philippe, galero,
Praeſide quo gaudet Bononienſe ſolum.
Spargite felicem tumulum viridantibus herbis,
Spargite ſangvineis, oſſa beata, roſis.

Quicquid odorifero, ſudant xylobalſama, trunco,
Puniceum rubeis qua tepet aequor aquis,
Quicquid plorantes lacrymant de cortice myrrhae,
Colligit Eous quicquid odoris Arabs,
Hos ungat cineres, hanc defundatur in urnam,
Menſtruus huic buſto concelebretur honos.
Ut colimus ſanctas, pompis ſolennibus umbras,
Huic praeſtet ſimiles quilibet exequias.
At vos, qui ſub humo tumulatos roditis artus,
Et facitis partem pulveris exiguam,
Parcite; nec vobis ſacras violare medullas,
Dentibus infeſtis ſvadeat ulla fames.
Molliter incluſum, mitis premat urna, cadaver,
Suſpenſus metuat membra gravare lapis.
Nemo ſacros manes pedibus calcare profanis
Audeat; admiſſo crimine, facta luet.
Quin aliquis, licet officium properare jubebit,
Compeſcat celerem praetereundo gradum.
Et genibus flexis, gelido ferat oſcula ſaxo,
Nec pigeat tales, ore dediſſe, ſonos:

Sal-

Salve magna parens, ſublimem enixa columnam,
Quae grave totius ſuſtinet orbis onus!
Salve Luna micans, Solem connixa coruſcum,
Cujus divino lumine cuncta nitent!
Salve clara parens, cujus veneranda propago,
Iura ſuper terras omnipotentis habet!
Te ſuper haud multum potuit mors juris habere,
Non eſt cum membris fama ſepulta tuis;
Sed viget, et mundum celebris perlabitur omnem,
Nec, niſi cum mundo deperitura ſimul.
Eſt conſangvineae, fragilis caro reddita, terrae,
Spiritus unde prius venerat, aſtra colit.
Sed cur turicremis te non veneramur in aris?
Cur te relligio non ſinit eſſe Deam?
Numina placavit peregrinae, Roma, Cybelles,
Manibus haec laus eſt inficianda tuis?
Cum vel progenie totum quae temperat orbem,
Plura, vel officio promereare tuo?
Gentiles Divos mendax Rhea protulit, et quem
Utilius fuerat non peperiſſe, Iovem.

Edi-

Editus, alma, tuo summus de ventre sacerdos,
Laudibus Oceanum tangit et astra suis.
Iura velint, et sancta fides, donabere templis,
Coelestem augebis, Diva novella, chorum.

M. Georgio et Antoniolo Scientae rusticantibus.

ELEGIA III.

Illos felices, illos reor esse beatos
Ante omnes, qui nunc rus geniale colunt.
Nam ruri nihil est mage dulce; molestior urbs est,
Rure manet Genius semper, ab urbe fugit.
Vos nunc aut canibus, lepores agitatis odoris,
Ast ego continue, grammasin invigilo.
Aut lentis virides peragratis passibus agros,
Ast ego continue, grammasin invigilo,

Aut

In edit. Frob. v. 3. An quid dulce magis est rure? v. 5. sqq. γράμμασιν.

Aut pingves turdos jucunda fallitis arte,
Ast ego continue, grammasin invigilo.
Vos jocus et ludus, vos blanda fronte voluptas,
Vos requies et pax, vos comitatur amor.
Adsunt conspicuae, formoso corpore, Nymphae,
Quae vobis posfunt oscula mille dare.
Vos bene potatis, vos pingves manditis escas,
Inde premunt mollem, corpora vestra, torum.
Ambo igitur superum merito scandetis Olympum,
Hoc mercedis habet, qui bene semper agit.
Opto nimis, placidi, nunc rus celebrare, Scientae,
Opto nimis vestra commoditate frui.
O si Pegaseis liquido ferar aethere pennis!
Et nunc ad vestros deferar ipse Lares!
Quis prohibet plures cera me jungere pennas,
Et junctas humeris applicuisse meis?
Hoc tuus, ut memorant, certe pater, Icare, fecit,
Et cur plus nobis ingeniosus erat?

Atlan-

In edit. Froben. v. 19 placidae.

Atlantis facunde nepos, fate Pliade pulchra,
Aliger aligero qui pede carpis iter;
Oro tuas nobis pennas concede parumper,
Ipſe Scientaeas donec adibo domus.
A te concesſis juvenis Danaëius alis,
Fertur ad horrendas Gorgonis isſe domos.
Aureus inde tuas a me ſtatuetur ad aras,
Taurus, et hibernis candidior nivibus.

Vulg. v. 32 ultimus ponitur.

Ad Galeottum Narnienſem.

ELEGIA IV.

Si, Galeotte, meo te collaudavero verſu,
Det veniam nobis cetera turba, precor.
Quippe licet multos habeam praedives amicos,
Vincitur a meritis, cetera turba, tuis.
Et, ſi verſiculos facio non prorſus inertes,
Doctrinae fateor munus id esſe tuae.

Per

Per te conscendi celsas Heliconis in arces,
Gorgonei fontem pes ubi rupit equi.
Per te Parnasi peragravi rosida Tempe,
Tu monitor, tu dux, tuque magister eras.
Accipe nunc carmen, quod nobis ante dedisti,
Collati fructum muneris, auctor, habe.
Par est ut carpat de palmite vinitor uvas,
Cultori messem reddere debet ager.
Et jam ut propositas exordiar edere laudes;
In primis patriae nobilitate nites.
Nemo adeo est amens, quin Umbros praeferat agros
Omnibus Italiae fertilitate locis.
Nec quoque gauderet se hac gente Propertius ortum,
Ni studio belli, ni foret apta, togae.
Urbs ibi consurgit praerupti in vertice saxi,
Nobiliumque ducum, pontificumque parens.
Cui victrix fortes transcripsit Roma colonos,
Nar fluvius nomen, mons Nituusque dedit.

Haec

v. 24. in voce *Nituus* forte latet mendum.

Haec tibi ſat clarae, genus haud ignobile, ſtirpis
Praebuit, et quantas, exigit uſus, opes.
Quae cum corda fero producat idonea Marti,
Bella quibus ſemper ſangvinolenta placent;
Tu potius Phoebi voluiſti evadere miles,
Haud veritus citharam praepoſuiſse tubae.
Nam ſimul ac teneri permiſit floſculus aevi,
Coepiſti Muſis invigilare ſacris.
Donaſti viridem caſtris tamen inde juventam,
Et ſatis hac etiam parte peritus eras.
Rurſus te ſaevis ſtudium revocavit ab armis,
Et tibi Theſpiadum ſigna ferenda dedit.
Nec te militiae miror tentaſſe laborem,
Herculeo dignum robore corpus habes.
Praecipue fortem ſcis exercere palaeſtram,
Et ſuperas cunctos ſtrenuitate viros.
Sed non eſt tantum robuſto in corpore laudis,
Ingenio quantus ſemper habetur honos.
Hoc te Bellonae ſvaſit praeferre Minervam,
Doctaque poſthabito Numina Marte ſequi.

Mul-

Multa pererrasti Latiae vagus oppida terrae,
Pectora dans doctis erudienda viris.
Demum Ferrariam felici es sorte profectus,
Et Phaëthontei, flumina clara, Padi.
Hic erat eloquio praestans undante Guarinus,
Pieridum Latio summus in orbe parens.
Hunc tu per geminos audis cum sedulus annos,
Luce cibi parcus, nocte soporis eras.
Ipse ego tunc Italas primum devectus ad urbes,
In castris coepi tiro merere suis.
Magnus amicitiae junxit nos protinus usus,
Ex illo noster tempore crevit amor.
Idem nos tenuit thalamus, tum mensa duobus
Communem semper praebuit una cibum.
Saepius ad mediam noctem vigilavimus ambo,
Cum cuperent somnos lumina fessa dari.
Saepius ante diem ternis surreximus horis,
Cum foret in tepido dulce cubare toro.

Fi-

Vulg. v. 52. tibi. v. 54. tuis.

Fidere cui posſem, nullum te praeter habebam,
Nullum, qui curam vellet habere mei.
Tu pariter fratriſque vicem, patruique gerebas,
Inque loco matris inque parentis eras.
Quantum ſis de me meritus, ſi dicere vellem,
Ora prius nobis mille petenda forent.
Nec me alius docuit, (ſoleo quod ſaepe fateri,)
Apta in legitimos cogere verba pedes.
Nunc quoniam vates inter numerare vetuſtos,
Imbutus monitis glorior esſe tuis.
Et merito; Nam te fingendi carminis artem,
Callidius, quovis judice, nemo tenet.
Singula tu proprias ſervare vocabula vires
Cogis, et in ſedes dirigis apta ſuas.
Nec niſi delectos curas annectere ſenſus,
Et quos antiqui non poſuere patres.
Cum multa hiſtorici, cum ſcribant multa poëtae,
Illa tamen memori pectore cuncta tenes.

No-

Vulg. v. 63. amabam. v. 64. Nullus.

Noſti ſtagna, lacus, noſti aequora, flumina, montes,
Quo populi jaceant, ille vel ille, loco.
Nil, cujus nequeas rationem reddere, profers,
Hoc et Maeonides fecit, et ipſe Maro.
Utile ſcis dulci, brevitati jungere lucem,
Seu ſequeris ſummum, ſeu mediocre genus.
Et velut urſa ſuos narratur lingere partus
Conſimili verſus ſedulitate polis.
Ergo fluunt, apteque ſonant, quotieſque leguntur,
Neſcio quid tecti nectaris intus habent.
Haec ſatis ad numeros. Nunc carmine prorſus omiſſo,
Enitar mores commemorare tuos.
Hi niſi dicantur, ſimul ac moriere, latebunt.
Illud in arbitrio poſteritatis erit.
Non ego divitias parvi te pendere miror,
Quas tantum demens vulgus habere cupit.
Sed longe eſt ipſas majus te ſpernere laudes,
Quae ſanctos etiam, philoſophoſque movent.
Nulla libido poteſt te frangere, nullus honoris
Ambitus; argenti nulla domare ſitis.

Comis es ut Caesar, vincis pietate Metellum,
Attiliumque fide, relligione Numam.
Res hominum, praesens, animo sic arduus alto
Despicis, ut coelo jam videare frui.
Nec tibi terrori est horrendae mortis imago,
Maximus in terris, sit licet ille timor.
Qui cum virtutum tanto sis agmine septus,
Audeo te cuivis aequiparare Deo.
Quin etiam spes est, aevo te posse futuro,
Has animi dotes accumulare tui.
Nunc tibi bis denis, successit septimus, annis,
Cum sis doctus, adhuc doctior esse potes.
Quod facere ut valeas, longaevam ducere vitam,
Dent tibi torquentes, ferrea fila, Deae.
Hoc, Galeotte, tuo breve dedico carmen honori,
Ingratae mentis ne reus esse ferar.
At vos, lectores, ne fictis credite verbis
Me illi blanditias composuisse leves.
Sic vivam Phoebo, sic vivam gratus Iäccho,
Ut mea de vivo pectore dicta fluunt!

Asfentando quidem nam cur ego vener amorem,
Si me plus oculis, diligit ipfe, fuis?

Titus Vefpafianus Strozza, ad Ianum Pannonium.

ELEGIA V.

Arbiter Idaeus, quamvis fua praemia nondum
Viderat, et qualis Tyndaris ipfa foret,
Dicitur abfentis tepuisfe cupidine formae,
Aequarat victrix quam Cytherea fuae.
Ut Meneläeos, fubiit ratis hofpita, portus,
Obviaque eft Phrygiis, facta Lacaena viris;
Acer in extremis Paridi calor osfibus haefit,
Atque ipfas, Helene vincere vifa, Deas.
Sic ego judiciis hominum, te Iane, probari
Accipiens, coepi nomen amare tuum;
Longaque de ftudiis, quoties oblata facultas,
Laetabar tecum ducere colloquia.
Sic veluti quoddam, fatis paefentibus, ortum

Principium inter nos, bujus amicitiae.
Ut lecta est Tomyris, nec non constantia Trottae,
Quas immortales, dive poëta, facis,
Vidimus et postquam tua carmina; amore relicto,
Grande quibus svades, aggrediamur opus;
In te crevit amor meus; et nova gloria famam
Transgressa est, dextro Numine parta tibi.
Tanta ibi dicendi gravitas, facundia tanta est,
Reddar ut incertus, quid magis ipse probem.
Et tibi Phoebus adest, Elego seu carmine laudas,
Sive canis paribus grandia facta modis.
O dilecta Deis! o felicissima tellus!
In qua tu fausto sidere progenitus.
Nos quoque felices! ad quorum limina sacros
Pieridum cantus ex Helicone refers.
Tu tamen in primis nova concipe gaudia, nostri
Temporis egregium, clare Guarine, decus.
Nam liquor ille tuo manans de flumine, latum

Per

Vulg. v. 15. Vel. v. 18. aggrediemur.

Per terras omnes jam ſibi quaerit iter.
Optima ſic fructus generoſos educat arbor,
Sic radios ſpargit Cynthius ipſe ſuos.

Ianus Pannonius Tito Veſpaſiano Strozzae.

ELEGIA VI.

Dicite, quae ſacro mittam reſponſa poëtae,
Pierides; veſtri Numinis iſtud opus.
Dicite; nam verbis coelo me talibus aequat,
Oblitus cogar prorſus ut eſſe mei.
Si quem ſenſiſſet de ſe Maro tanta ſonantem,
Signaſſet vatis conſcius ora rubor.
Saxea quin etiam potuiſſent ſigna moveri,
Aut ſi quid ſaxo durius eſſe poteſt.
Irriſitne meas, ſimulans extollere, nugas?
An potius noſtri falſus amore fuit?
Non eſt tanta ejus levitas in pectore, non eſt,
Ut ſoleat ſimiles ille referre jocos.

Ipſum praeterea non cari fallit amici,
Sed qui blanda manu ſpicula torquet, amor.
Quodſi tale nihil fas eſt me credere, ſolum
Reſtat, ut hortandi nomine dicta rear.
Hoc ſancti mores, probitas hoc inſita lingvae,
Hoc mens invidiae clauſa putare jubet.
Qui cum ſit noſtri longe doctisſimus aevi,
Exoptat plures ſurgere posſe Titos.
Hinc me commendat, titulis ut concita virtus,
Caſtaliam prono largius ore bibat.
An, ſi pavo ſuas ſpectari viderit alas,
Expandet caudae, ſidera picta, ſuae,
Nos nihil his ſtimulis, nihil hoc animabimur oeſtro?
Haud adeo nobis ferrea corda rigent.
Sint tibi mille igitur, misſo pro carmine grates,
Quod duplicis meriti pondus et inſtar habet.
Nam ſemper cura nitar ſtudioſius omni,
Laudibus inveniar ne minor esſe tuis.
Aut ſi non dabitur proprio clareſcere verſu,
Noſtra ſatis per te fama perennis erit.

Vivus apud vivos memorabile nomen habebo,

Mortuus a sera posteritate legar.*

Titus Vespasianus Strozza, ad annulum a puella dono sibi datum.

ELEGIA VII.

Annule, dulce mihi dilectae munus amicae,
Annule, delicias inter habende meas;
Tu licet excellas auro pretiosus, et apte
Gemma sit artifici clausa magisterio;
Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse;
Scilicet in nivea te tulit illa manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
In primis monuit, quam sibi carus eras.
Mecum igitur semper, noctesque diesque manebis,
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponere, manus dum nostra lavetur,
Invida ne nitidum te mihi laedat aqua.

Tu modo, laeva, cave commissum perdere pignus,
Si qua hoc mandantis gratia tangit heri.

Ianus Pannonius de eodem annulo, ad Titum Vespasianum Strozzam.

ELEGIA VIII.

Legimus, o vates, tua carmina, carmina Phoebo
Digna, nec Orpheis inferiora sonis;
Pulchra quibus tenerae commendas dona puellae,
Grata refers animo quae nimis esse tuo.
Nec tantum dono, quantum donante moveris,
Auctor momentum munere majus habet.
Ast ego, pace tua liceat modo vera referre,
Quod sedeat nobis commemorare velim.
Nec quia Thersites videar moniturus Vlixen,
Hoc nostrum debes spernere consilium.
Cernere amor rectum, te non sinit, ast ego cerno
Plurima, quem vinctum nulla puella tenet.

Cen-

Censeo, ut hoc dubium suspectae munus amicae,
A digitis jubeas eminus esse tuis.
Femineae mentes multum levitatis abundant,
Et semper varium femina pectus habet.
Femineo impulsu (non est ea fabula falsa,)
Occidit prolem, trux Catilina, suam.
Tarquinius socero, rapuit male regna, necato,
Tulla caput sceleris consiliique fuit.
Quem detestato quondam jugulaverat ense,
Nunc gemit ereptum, garrula mater, Ityn.
Ad Styga deportant terebratas Belides urnas,
Agmina cognatos ausa necare viros.
Quod fertur quondam per secula cuncta fuisse
Orba viris Lemnos; femina causa fuit.
Quam simul insanis, tangens Venus improba, flammis,
Intima vibratas, fixit in ossa, faces,
Naturale malum funesto augetur amore.

Vulg. v. 20. consiliumque. v. 21. forte leg. detestando. v. 25. pro, *cuncta* forte leg. multa.

Tunc furit, ut patrio Thebaïs acta Deo.
Tunc vel Chalcidicis eſt inconſtantior undis,
Tunc eſt Hyrcana tigride ſaeva magis.
Tunc levibus levior ſtipulis et fronde caduca,
Quam raptam praeceps, fert per inane Notus.
Nec curat famam; nullum patrare veretur
Flagitium; caecus quidlibet audet amans.
Eſſe poteſt aliquis veſtrorum inimicus amorum,
Invidus eſſe poteſt; aemulus eſſe poteſt;
Qui te forte alias confinxit amare puellas,
Et rem, veſanam detulit ad dominam;
Illa fidem falſae tribuit temeraria culpae,
Quisquis amat, nimium credulitatis habet.
Inde venenatam, ſimulato munere, gemmam,
Impoſuit digitis inſidioſa tuis.
Nec mirere quidem tam magna audere puellam,
Non famam ex tanto crimine prima feret.
Cum relegas veterum divina poëmata vatum,

Qua-

Vulg. v. 39. confingat. v. 40. deferat.

Qualibet exemplum de muliere cape,
Quam maleſanus amor diras committere caedes
Impulit, et promtam fecit ad omne nefas.
Scylla ſuum roſeo ſpoliavit crine parentem,
Auſa Mycenaeum nupta necare ducem.
Sangvine natorum polluta eſt barbara mater,
Privignum leto Creſſa noverca dedit.
Uſtus in excelſa cecidit Tirynthius Oeta;
Cauſa fuit mortis Deïanira malae.
At non eſſe tuam tam prava mente puellam,
Et bene te mores noſſe, loquere, probos.
Non erat Aeolidae conjux ſuſpecta marito,
Induit arma tamen proditione ſua.
Nec te ſecurum tanto in diſcrimine praeſta,
Nec nimium dominae credulus eſſe velis.
Quae, minime ſperant freta ſunt infeſta, carinis,
Qui minime rentur piſcibus eſca nocet.
Dum ſecura ſedet ramo ſuper arboris ales,
Aſſpicit implicitos, aucupis arte pedes.
Dum penitus miſſo, gaudebat laeta, timore,

Cap-

Capta fuit Grajo, Dardana Troja, dolo.
Excute de digitis malefanae dona puellae,
Excute; amara fub hoc melle venena latent.
Quis demens adeo, quis tam vefanus et excors,
Ut velit in proprium ferre venena caput?
Fac tamen occultis ea dona carere venenis,
At magicum certe carmen habere queunt,
Quod te posfe aliam, quam vis adamare puellam,
Et quam nunc ardes, deferuisfe vetet.
Infelix, cura torquebere femper eadem,
Et nulla aeternum finiet hora malum.
Cantatas alio transferre vetabere flammas;
Sic femper turpis te retinebit amor.
Et cum legitimas, pofcent tua corpora, taedas,
Tardabit juftas, fax inhonefta, faces.
At nec Sifyphiden Circe, nec Iäfona Colchis,
Carminibus potuit detinuisfe fuis;
Sic erat in fatis. tenuisfet Iäfona Colchis,
Sifyphiden Circe; tres vetuere Deae.
Tu bene per magicas, in amore teneberis, herbas,

Nec

Nec tu Parcarum flamine tutus eris.
Asſpice Theſſalicis ſit quanta potentia ſuccis,
Carmina ne, tantum juris habere, neges.
Carmine Sol pallet; traducunt carmina meſſes,
E coelo Lunam carmina ſaepe trahunt.
Haec ſtellas fuſcant, nebulas ex aethere pellunt,
His pluviae in terras, vel ſine nube, cadunt.
Carmine terra tremet, juveneſcet carmine Neſtor,
Carmine tranquillum, cum tumet aequor, erit.
Elioiunt manes, refrenant flumina cantus,
Et faciunt hominem protinus eſſe lupum.
Hae te non poterunt artes in amore tenere,
Quae coelum, terras, aequora tota tenent?
Pone, quod hoc donum, nullum cum carmine virus
Portet; ut amoveas, altera cauſa monet.
Quod te cunque ſolum, quae te loca cunque tenebunt;
Sive propinquus eris, ſive remotus eris,
Immitem ex animo nunquam delere puellam,

Te

Vulg. v. 103. cuncta.

Te sinet in digitis, gemma locata, tuis;
Continueque suum coget succurrere nomen,
Cum paene ex animo fugerit omne tuo.
Ac velut extinctum levis aura resuscitat ignem,
Quem superinductus texerat ante cinis;
Sic recrudescent tua vulnera semper in horas,
Quae te sollicitet, causa perennis erit.
Quos tunc, infelix, quos tunc effundere questus,
Singultu vocem praepediente gravi,
Quos dare cogeris gemitus, suspiria quanta?
Invitis quoties illacrymare genis?
Pone age de digitis malesanae dona puellae,
Quae te sollicitum saepe, retenta, dabunt.
Gemma laborato, quae clausa refulget, in auro
Cur te delectet, sola ea causa subest,
Quod fuit in digitis carae gestata puellae,
Quod dedit hanc digitis, cara puella, tuis.
Quo magis ingenuas animum debemus ad artes

Flecte-

Vulg. v. 120. Cur te delectat?

Flectere, quas nobis magnus Apollo dedit.
Quas bona Melpomene, quas cetera turba ſororum,
Pectore quas geſtat Calliopea ſuo.
Nec quod ad has ſacras esſes minus impiger artes,
Id nunc me verbis inſinuasſe puta;
Sed tamen humanas perſaepe retardat, et arcet
A ſtudio mentes deſidioſus amor.
Quare age non ſolum maleſanae dona puellae,
Munera de digitis, excute quaeſo, tuis;
Sed cum te haud lateat, quam ſit male blanda Voluptas,
Cum bene perſpicias, quam ſit açerbus amor;
Excute damnoſas captivo e pectore curas,
Deme Cupidineis, et tua colla, jugis;
Prorſus et ingenuas convertere totus ad artes,
Et grave, neglecto carmen amore, cane.
Quisnam, cui ſeſe redimendi eſt ulla facultas,
Malit ſervili ſubdere colla jugo?
At Deus eſt, referes, et habet ſua tela Cupido,
Non valeo tantum vincere Numen homo,
Vulnificos arcus, celeres, quibus evolat, alas,

Nec non ignitas fertur habere faces.
Eſſe Deum, genitumque Dea, confinxit amorem,
Servitio obſceno caeca libido favens;
Numinis et titulo voluit velare furorem,
Dignior ut venia, liberiorque foret.
Scilicet aligerum terras Erycina per omnes,
Admiſſis natum greſſibus ire jubet!
Ille levem rapido conſcendens aethera curſu
Contorquet tenera ſpicula lenta manu!
Ac genus humanum, et Superos dominatur in omnes,
Et quicquid paſcunt ſidera, terra, fretum!
Hoc hominum quondam finxit temerarius error,
Et Venerem, et pharetras, nude Cupido, tuas.
Ocyus abſcedant commenta Cupidinis arma,
Ocyus abſcedat luxurioſa Venus.
Pegaſides veniant, veniat citharoedus Apollo,
Et cum Maenalio, candide Iăcche, Deo.
Quos gravis ingenti comitetur Gloria paſſu,

Et

Vulg. v. 153. At.

Et late rapido quae pede, Fama, volat.
Scribere quae valeas, funt plurima praeter amorem,
Sive nova arrident, five vetufta placent.
Bellica five juvat clarorum gefta virorum,
Carmine materiae conveniente fuae;
Sive referre togam; per quas tua naviget undas,
Cymba, dabit Latium, terra Pelasga dabit.
Sunt quae Cecropidae, funt quae Spartana juventus,
Et Rhodos, et populus, clare Corinthe, tuus,
Sunt et quae magnae quondam gesfere Mycenae;
Oedipodionidum plurima facta vacant.
Plurima Lydorum, Perfarum plurima reftant,
Et Macetûm gentes multa tenenda dabunt.
Sunt res Albanae, Carthaginis acta fuperfunt,
Et dare, quae referas, maxima Roma, poteft,
Roma triumphatas inter celeberrima gentes,

Ter-

Vulg. poft v. 172. quatuor difticha male transpofita funt. v. 174. Macedum.

Terrarum domitrix, imperiale caput.
Nam quota gestorum pars est memorata Quiritum?
Cantatis longe plura canenda vacant.
Forte minus te prisca juvant; nova multa dabuntur,
Secula sunt claris nostra referta viris.
Rex Alfonsus adest; sunt quos Malatesta propago
Edidit; est Princeps, Mutina clara, tuus.
Seditiosa gerit civile Bononia bellum,
Par Genuae status est; haec memorare potes.
Florentina potes, Venetûm potes arma referre,
Et potes angvigerum concelebrare ducem.
Ecce autem gentes adversum justa profanas,
Numine pro vero Pannones arma ferunt.
Horum bella potes mansurae tradere famae,
Et tot praestantes occubuisse viros;
Cum quibus et regem validis cecidisse sub armis,
Pro sacra aeterni relligione Dei.
Quippe ego non possum tantis me accingere rebus,
Cum meus in primo pulvere sudet equus.

Tu potes hoc longe melius decurrere campo,
Nam tuus e ſtadio ſaepe recurrit equus.
Neve externa ſequar, pelago dare vela propinquo
Incipe, et Eſtenſes tolle, age, ad aſtra viros.
Quorum qui nunc ſunt, populos in pace gubernant,
Et Muſas, et te, pulcher Apollo, colunt.
Hos toga delectat, Martem coluere priores,
Et bello magnum promeruere decus.
Quamvis materiam domus haec celeberrima praebet,
Sive velis Martem dicere, ſive togam.
At deſunt vires numeris, nec credere ſeſe
Audet tam vaſto noſtra carina ſalo!
Solve ratem, curret; nervos intende, valebunt;
Inceptis aderit Calliopea tuis.
Quid tamen ingenio valeas, bene novimus omnes,
Tu fingis Clario carmina digna Deo.
At ſine me paullum tantis praeludere rebus,
Ut ſternant magnis metra minora viam.

La-

Vulg. v. 197. longo.

Labuntur fenfim, dum te praeludere fingis,
Tempora; fic aetas praeterit omnis iners.
Prolufum eft, ventis, pelagus patet omne, fugatis,
Strataque carminibus fatque fuperque via eft.
Incipe, quid metuis? Phoebus favet; incipe tandem,
Et freta de parva magna palude pete.
Poft molles rixas, certamina magna canantur,
Et quae funt alio bella canenda pede.
Sit finis ludo, valeat lafciva Dione,
Sume gravem, plectro cum graviore, lyram.
Nox erat, irriguo dederam mea lumina fomno,
Eft Deus ante oculos vifus adeffe meos;
Phoebus erat certe, Phoebum chelys ipfa probabat,
Et pharetra, et lauro nexa virente coma.
Hos ad te incomtos monuit me fcribere verfus,
Excipe tu placido, carmina noftra, finu.

Virg. v. 218. fitque.

Tibi

Titi Vespasiani Strozzae ad Ianum Pannonium responsio.

ELEGIA IX.

Quis novus ille sacri vates Heliconis in antro?
Cujus Apollineum carmen ab ore sonat.
Dicite Pierides, ubi primos egerit annos,
Quae tener insveto presserit arva pede?
Quo duce lauriferae peragraverit avia silvae?
Sub quibus ille vagans luserit arboribus?
At, nisi mens fallit, videor cognoscere vatem;
Hunc, Heliconiades, vos aluisse ferunt.
Vos canere arcano puerum docuistis in antro,
Pulsaque fila levi sollicitare manu.
Ipse sacris adhibere choris dignatus Apollo,
Iussit honorata cingere fronde caput.
Perque pias duxit sedes, et amoena vireta,

Plu-

Vulg. v. 4. aura.

Plurima Pegaſeos qua tegit umbra lacus.
O nimium felix! o fortunate poëta!
Ingenio priſcis aequiparande viris!
Ecce tibi faciles donant ſua carmina Muſae,
Nec negat Aoniam, pulcher Apollo, lyram.
Iam tibi pallentes hederas, thyrſoſque merenti,
Praebuit, et currus Euchius ipſe ſuos.
Nec tibi deficiunt, ubi vis intendere, vires,
Ardua ſive libet, ſeu leviora ſequi.
Quid formae decus, et mores, ſanctumque pudorem,
Quid referam vitae, candida facta, tuae?
Omnia praeſentes Superi tibi, Iane, dedisſent,
Ni vacuum dulci, pectus amore, foret.
Immeritas nec jam ſatis eſt odisſe puellas,
Triſtia ſed tetrico carmine bella paras.
At mihi ſervitium capto, dominamque ferenti,
Objicis extremae crimina deſidiae,
Quodque diu fuerim mordaci fabula vulgo,
Nec patriis humilis tollar imaginibus.
Nec quod amans rectum videam, cum plurima cernas,

Sub-

Subjectus nullis ipse cupidinibus.
Incautumque vocas et sanae mentis egentem,
Cujus sit dubio credita cymba mari.
Munera quin etiam carae pretiosa puellae,
Ut suspecta, mihi despicienda putas.
Saepe, refers, dulci sub melle venena latere,
Et placitis hamum saepe subesse cibis.
Quanta puellari levitas in pectore regnet,
Quam cito consuerint credere falsa, mones.
Quid valeant herbae, quid noxia carmina, narras,
Et quodcunque Venus monstret iniqua nefas.
Multaque feminei, memoras exempla, furoris,
Transversas olim, quas malus egit Amor.
Acrior his, ut me redimam, rationibus urges,
Utque velim ex humili tollere valle caput,
Tum positis levibus curis, et amore relicto,
Regia sublimi condere bella pede.
Non equidem adversor, tibi me nunc, Iane, monenti,

At-

Vulg. v. 45. femineae. v. 49. et 50. desunt.

Atque meae fateor crimina nequitiae.
Nec te Therfiten, potius sed Nestora dicam,
Tam bene qui noris, tam graviterque loqui.
Sed tamen aut fatis, aut longo impellor ab usu,
Optima cum videam, deteriora sequar.
Non secus assiduis confectus febribus aeger,
Invisam medicae despicit artis opem.
Tum succos omnes, medicamina cuncta perosus,
Negligit infirmi corporis auxilia.
Forsitan huic poteras olim succurrere morbo,
Cum primo illatum, nec grave, vulnus erat.
Nunc fero medicina datur, nec inania posthac
Proderit amisso, claudere septa, bove.
Non ita praecipites agitantur in aequore cymbae,
Cum Notus Ioniis fluctibus insonuit,
Ut me versat Amor, pectus populatus, et omne
Ius animi; atque suo me regit arbitrio.
Talis permultos tulit exitus, hic quoque Titum

Au-

v. 56. legendum puto: *sequi.*

Auferat, hoc noster limite currat equus.
Mortales omnes neque enim trahit una voluptas,
Ingenio sequitur proxima quisque suo.
Hunc rapit armorum sublimem gloria coelo,
Proferat ut victis gentibus imperium.
Lucra petens mercem fuscis vehit alter ab Indis,
Alter ab Oceano, flave Britanne, tuo.
Ille sacris caelebs Superûm se dedicat aris,
Hic notat astriferi, lucida signa, poli.
Hunc juvat occultas naturae discere vires,
Et procul a vulgo condita mente sequi.
Ille Machaonias animum convertit ad artes,
Versat et antiquum sedulus Hippocratem.
Hunc Iuris lassant numerosa volumina, at illum
Nobilibus studiis docta Minerva tenet.
Me mea sors tenero voluit succumbere Amori,
Et mihi pars hujus credita militiae est.
Non, ut rere, tamen (liceat mihi vera tueri,)

De-

Vulg. v. 80. Et juvat. v. 82. Versat hic.

Deſidiam caſtris, dux habet ille, ſuis.
An tibi, cum vigilet totas ad limina noctes,
Anxius in dominam, ſegnis amator erit?
Quem labor haud ullus, quem non via longa fatiget,
Ignavi turpem ſuſtinet ille notam?
Strenuus, oppoſitos audet tranſcendere montes,
Horrida nec boreae frigora curat, amans.
Nec rapidi tardant undis ſpumantibus amnes,
Cum fluit ex altis, nix reſoluta, jugis.
Lentus erat juvenis, cum ſaeva per aequora nabat,
Quem tepido, fovit Seſta puella, ſinu?
An Turni ſolitas vires, animoſque Cupido
Fregit? an ignavum reddidit Aeaciden?
Ferre famem, tolerare ſitim, contemnere ſomnos,
Dura pati didicit plurima, quisquis amat.
Sed non, quae deceant, poſiti ſub nubibus atris,
Cernimus, et vobis purius iſta patent!
Semivirum, didicit, monſtrante Cupidine, Theſeus,

Qua

Vulg. v. 89. At tibi. v. 100. Aeacidem.

Qua voti compos perderet arte, bovem.
Incolumis nunquam patriae tetigisset Iāson
Litora, Phryxeae vellere clarus ovis,
Ni benesvadus Amor vitare pericula tanta,
Poscere virgineam, ni monuisset, opem.
Ille dat ingeniis vires, animique vigorem
Excitat, ille rudes perficit arte viros.
Ast incerta sequor te judice, nec mihi fas est,
Noscere, quem mea sint vota habitura modum.
Haec, quodcunque hominum fruitur vitalibus auris,
Sors habet, et fati nescia jura latent.
Tene putas nostris exceptum legibus esse?
An tua sors melior sorte putanda mea est?
Si mihi difficiles casus memorabis amantum,
Sunt quibus indulsit non inimica Venus.
Haud semper vultu perstat Fortuna minaci,
Non omnis rabido est agna dicata lupo.
Caede Neoptolemus patria si territus esset,

Li-

Vulg. v. 121. praestat.

Liquisset turpi Dorica castra fuga.
Cum toties fuerint insidae puppibus undae,
Creber in aequoreas navita fertur aquas.
An quia Cadmeum juvenem laceraverat olim
Montibus Aoniis effera turba canum,
Segnior Hippolytus silvis canibusque vacavit?
Venandi Cephalo cura minorve fuit?
Nec tu Palladias ideo nunc despicis artes,
Hae licet intulerint plurima saepe mala,
Docta licet quondam magni Demosthenis ora,
In dominum fuerint perniciosa suum;
Exitium ingenio quamvis sibi triste pararit,
Gloria Romani Tullius eloquii,
Causaque Nasonem similis procul urbe fugatum,
Impulerit Getici litus adire maris.
Munera cur spernam, gratae mihi pignora mentis,
Quae summo quaeri digna labore forent?
Gemma erit in pretio, quam se mercator avarus

Fin-

Vulg. v. 135. tibi.

Finxerit a rubri litore ferre maris,
Annulus artis opus mirae mihi vilis habendus,
Quem tulit in digito, dia puella, suo?
Cui neque nostra parem, neque prisci temporis aetas
Vidit, nec similem secla futura ferent.
Quam svavis placido comitatur gratia vultu,
Tristis ubi nullum, vindicat ira locum.
Quae me non dubitat nitidis praeponere ocellis,
Quae mihi vel proprio corpore cara magis.
Haec in nos igitur magicas meditabitur artes?
Miscebit timida, toxica dira, manu?
Thessalicos, esto, ritus, herbasque nocentes
Noverit, atque ausit quaeque nefanda sequi;
Quo, reus, admisso merui sperare venenum?
Immerito miseram, cur paret illa, necem?
Quid metuam, invitus ne carmine cogar amare,
Cum nostrae, cedant carmina cuncta, Deae?
Hac Laërtiaden facie Phoebeïa Circe,

Pha-

Vulg. v. 149. proponere. v. 152. forte leg. *tumida*, vel, *rabida*.

Phasias hac potuit detinuisse virum.
Hac mea difficili vinxit praecordia nodo,
Illius ut nulla solvar amore die.
Quodsi, credentem nimium, mutare puellam,
Criminibus fictis improba lingva valet,
Imminet hoc aliis etiam commune periclum,
In fera, quos eadem, praelia lingva ciet.
Illa propinquorum communia jura resolvit,
Foederaque antiquae rumpit amicitiae.
Conditio haec multos, non solos tangit amantes,
Haec te sollicitum reddere cura potest.
Non saevi, (ut scribis,) Catilinae femina mentem
Compulit in facinus; dux fuit ipse sibi.
Nam furor immitis, quo perdere cuncta parabat,
Egit ut in prolem, verteret arma, suam.
Tarquinium rapuit dominandi caeca libido,
Materiam sceleri quae dare saepe solet.
Si Danai proles, cognato sangvine ferrum

Tin-

Vulg. v. 161. Haec.

Tinxit, ſecuris inſidiata viris,
Cauſa fuit genitor, juſſis metuendus acerbis,
Ut formidatas tolleret ipſe manus.
Lemniadum mentes agitavit Numinis ira,
Nec fontes, reliquas impia Scylla, facit.
Theſiden contemta Venus, non Creſſa peremit,
Ulciſci offenſas ſic ſolet illa ſuas.
Amphitryoniades non crimine Deïanirae,
Fraude ſed occubuit, perfide Neſſe, tua.
Molle dedit teneris pectus natura puellis,
Quas tamen impellit juſtus in arma dolor.
Audierat partim, partim delicta mariti
Viderat, Aegiſthi, Graja ſecuta, fidem.
Laeſaque natorum maculata eſt ſangvine Colchis,
Et Progne infidi conjugis ulta nefas.
Cur omnes igitur, ſceleris tua carmina damnant,
De tot, paucarum crimina ſi qua vides.
Extulit hunc etiam celeberrima gloria ſexum,

Et

Vulg. v. 183. Theſidem.

Et monumenta suae plurima laudis habet.
Virginitas ultro servata, et bellica virtus,
Magnum Orithyjae contribuere decus.
Lampedon, Hippolyten, Menalippen, Iane, videmus
Illustres inter nomen habere viros.
His quoque se comitem merito Marthesia jungit,
Nec caret Antiope laude, nec Harpalyce.
Magnanimam Tomyrin, fortem propone Camillam,
Et subeat menti Penthesilea tuae.
Adde et Amazonia reliquas de stirpe sorores,
Respice Carmentam, respice Penelopen.
Ulta nefas animo, propria et Lucretia dextra,
Invicto occurret clara pudore tibi.
Ac rapidum nando transmittere Cloelia Thybrin
Ausa, suis animis praemia digna tulit.
Quid te commemorem Vestalis Claudia virgo,
Qua stetit attoniti vindice fratris honos?

Quit-

Vulg. v. 205. Amazoniae. v. 207. propriaque. v. 209. At. v. 212. attonita.

Quisve tuum dignis nomen, Cornelia, tollat
Laudibus? aut animum, Porcia casta, tuum?
Quis te praetereat generosi pectoris Hester,
Non bene damnatos, protinus ulta, Syros?
Quisve Palaestina genitam te stirpe Virago,
Spem taceat patriae, subsidiumque tuae?
Te duce libertas Moseae reddita genti,
Assyriusque tua concidit arte furor.
Si fortasse petes exempla recentia, nonne
Cognita perpetua laude Mathildis erit!
Sponte, opibus spretis, regnum Violanta reliquit,
Seque sacri sociam maluit esse chori.
Nec tamen hanc illi vel inanis gloria mentem,
Vel praeceps studium, simplicitasve dedit,
Sed ratio constans, haud turpi obnoxia voto,
Ac vitae tendens ad melioris iter.
Harum ingens numerus terras florere per omnes
Cernitur, hac coelo quis datur ire via.

Le-

Vulg. v. 217. Palaestinae.

Legibus his etiam multas numerare ſolutas
Poſſumus, inſignes moribus atque fide.
Sed procul a coepto videar diſcedere, ſi tot
Inſiſtam exemplis, quae bene nota tibi.
Denique ſeu pacis, ſeu belli munera quaeris,
Seu nova, ſeu priſci temporis acta leges,
Plurima quae laudes, muliebria facta videbis,
Vix plures titulos fama virilis habet.
Turpiter his hoſtem, cum te fatearis, amice,
Ac fugias vitae quae tibi nota comes,
Ede quid eſſe velis, quem te mihi dicere fas ſit,
Aptane quaerendis laudibus iſta via eſt?
Obſcenum laeſo, vitae candore, relinquis
Iudicium, verbis proditus ipſe tuis.
Atque aliquid licuit mihi credere, ni bene noſſem,
Ingenuos mores, Socraticamque domum.
Ipſe ego naturae ducentis jura ſecutus,
Pergam, quo coepi tramite, ferre pedem.

Nec

v. 240. forte leg. nata.

Nec tamen immerito; quid enim praestantius unquam
Pacifico, Genius mitis, Amore tulit?
Ille decus coeli, et Superum jucunda voluptas;
Hoc absente, Iovis regia tristis erit.
Illius adventu gaudent volucresque feraeque,
Quicquid alit tellus, aequora quicquid alunt.
Hic pacis Deus est, et amabilis optat amari,
Spernit opes, odit turpia, pulchra cupit.
At quae bellipotens exercet vitricus arma,
Non probat, et nulla est caede cruenta manus.
Si quis amans, aliquid sine lege, immane, nefandum
Molitur, nullum hic crimen Amoris erit.
Nam male compositae praeceps insania vitae,
Mortales animos, in scelus omne trahit.
Implacidas hominum docuit mansvescere mentes,
Dulciaque objecit pabula mollis Amor.
Ille truces fastus, violentaque pectora lenit,
Nec regum claris cedit imaginibus.
Aeneamque suum, ne non foret omnibus idem,
Accendit vultu, candida Elisa, tuo.

Nil ſua facundum ſolertia juvit Vlixen,
Nec magno virtus profuit Aeacidae.
Pauper adhuc, luxu penitus dum Roma carebat,
Sceptrifer Egeriam fertur amaſſe Numa.
Aurea, progenitum divino ſangvine, Caeſar,
Spicula, cognati, te petiere, Dei.
Ille ferum Hannibalem domuit, regemque ſuperbum,
Area cui totus parvula mundus erat.
Senſit et Atrides vim Numinis hujus et arma,
Concidit Argolica, quo duce Troja, manu.
Pectora quin etiam magni incaluere Platonis,
Cujus tam celebri carmine notus amor.
His comes accedit Calvus, molliſque Catullus,
Atque Anſer, flammas qui cecinere ſuas.
Abſtulit ardentem Gallum formoſa Lycoris,
Carmine amatoris Cynthia clara ſui eſt.
Vivit ab inſigni Nemeſis celebrata Tibullo,
Vivit Pelignis, nota Corinna, ſonis.
Ille ſacri vates operis Ieſſeïa proles,
Praefecit populo, quem Deus ipſe, ſuo,

Ber-

Bersabeae captus forma, tibi magne Cupido
Cessit, nec Salomon tutior ipse fuit.
Quique Philistaeos subita oppressisse ruina
Dicitur, et certam non timuisse necem,
Succubuit victus, teneroque vacavit Amori,
Nec puduit domina multa jubente pati.
Nil magis horrendum Polyphemo senserat Aetna,
Saevior indomitis fratribus ille fuit,
Dum tamen aequorea siccas in rupe capillos,
Exarsit, visa te, Galatea, Cyclops.
Admovitque preces blandus, studioque placendi,
Insolita rigidam pexuit arte comam.
Iam tibi poma legit, tibi pastoralia cantat
Carmina, lanigeras jam tibi servat oves.
Quem neque proposito pietas humana nefando,
Arcebat, magni cura nec ulla Iovis,
Leniit hunc blandae Veneris placidissima proles,
Quae valet aeternos sollicitare Deos.
Suspice quam nitido mutata effulgeat astro,
Frigida veliferas quae regit Ursa rates.

Suspice Sidonii radiantia cernua tauri,
Florida cui simplex serta puella dabat.
Suspice Atlanteam Majam, geminasque sorores,
Ab Iove quae coelum pignus amoris habent.
Quis vero innumeros Alcidae nesciat ignes?
Et quot saeva manu monstra peremit amans?
Tu quoque amator eras, cum Thessala rura tenenti
Praestabat citharae, fistula, Phoebe, vicem.
Quid Steropen, Veneremque sequar? quid Pallada? quidve
Ilian hic referam, Mars, placuisse tibi?
Persea quid memorem, dubiae qui praemia pugnae,
Andromeden subito saucius igne, tulit?
Quidve, triumphato dum victor ab orbe redires,
Lyncibus avectam Gnosida, Bacche, tuis!
Arsit in Halcyone gelidarum rector aquarum,
Cepit Amymone, Laodiceque Deum.
Illi cura fuit Tyro et formosa Celaeno,
Angvibus et nondum cincta Medusa caput.

Sit

Vulg. v. 324. Aminone.

Sit licet Oceanus spatiosis obsitus annis,
Flagrat inextincto Tethyos igne suae.
Tithonusque pater, cano venerabilis aevo,
Te, Dea venturae praevia lucis, amat.
Hippotaden rapido ventorum turbine lassum,
Pulchra fovet niveo Deïopea sinu.
At Zephyrum Chloris, quae floribus arva coronans,
Efflat odoratis, lilia mista, rosis.
Quo me saeve feres Aquilo? num te quoque victum
Credibile est ullas sustinuisse faces?
Horridus ille licet, Superis, terrisque minetur,
Aequora terribili, concitet alta, sono,
Litore ab Actaeo placitam rapuisse puellam
Dicitur, et votis consuluisse suis.
Nec tamen a Latio, gelidae sed rupibus Arcti
Et patriae rigido venit ab axe tuae.
Arsit et implacidus Stygii dominator Averni,
Duraque permulsit pectora blanda Venus.

Vir-

Vulg v. 328. Thetyos. v 343. implacitus.

Virgineamque ferens sub regna latentia praedam,
Noctifero pavidam terruit axe diem.
Denique cuncta videt subjecta Cupidinis armis
Aethere prospiciens Phoebus utrumque polum.
Nec mare, nec terras, nec sidera summa moveret,
Ni quiddam egregium, ni Deus esset Amor.
Omnia cum nullo superet discrimine, quidnam
Mirum est, in tanto si grege Titus amat?
Nam mea Nestoreos aetas nondum attigit annos,
Nec me Tithoni longa senecta premit.
Nunc Venerem tractare decet, nunc dicere cantus,
Nunc dare flaventi mollia serta comae.
Tu quoque quid faceres tales sortitus ocellos,
Quales non Iö, non tulit Antiope?
Nempe tibi caderent tam fortia verba, nec ullam
Scaevola, nec Cicero tradere posset opem.
Ille licet juris fuerit legumque peritus,
Alter Palladio noverit ore loqui.

De-

Vulg. v. 360. vel.

Desine velle meos abrumpere durus amores,
Et sine, me placito vivere servitio.
Quisquis ab hoc vitae poterit me avertere cursu,
Ille avidam Tityi pectore pellet avem.
Tantaleamque sitim fugitivis leniet undis,
Atque tuum, infelix Sisyphe, sistet onus.
Clarus erat bello, bello quoque concidit Hector,
Et periit notis Tiphys in aequoribus.
Ast ego, quem certo jam pridem perculit arcu,
Aligeri semper miles Amoris ero.
Et tibi, quem curis vacuum respexit Apollo,
Grandisona linquam bella canenda tuba.
Despice, parve liber, morsus Livoris edaces,
Iam tibi Caesareo contigit ore legi.
Maxima perpetuae referes praeconia laudis,
Carmina judicio, si probat ille, suo.

Iam

Iani Pannonii reſponſio.

ELEGIA X.

Quae lento partu genitrix Natura profudit,
Illa ſolent multos vivere firma dies.
Tardius Actaeae quia creſcit truncus olivae,
Arboribus reliquis ſecula plura videt.
Corrigitur, ſpatio durandi, ſegnior ortus,
Penſat creſcendi longa ſenecta moram.
Sic tu ſera meis reddens reſponſa tabellis,
Miſiſti dignos poſteritate ſonos.
Lentum appellabam quondam, nunc fingere miror
Tam cito tam doctos, te potuiſſe, modos.
Si vel ſeptenos esſes cunctatus in annos,
Ignavi nomen vix ſubiturus eras.
Ah! nimis argute blandum defendis amorem,
Diſpeream ſi jam crimen, amare, puto.
Quantum non ulli vates habuere vetuſti,

Tantum dicendi, tu Tite, robur habes.
Aegrius humanas ſiquidem crudelibus iras,
Frangi poſſe feris, multa pericla docent.
Non potuit Bacchas, placavit Cerberon Orpheus,
Aſperior monſtro barbara turba fuit.
Non potuit nautas, flexit delphinas Arion,
Piſcis opem tribuit, cui nocuere viri.
Iam video, nil eſt ſermone potentius ipſo,
Iam video, nimium lingva diſerta valet.
En! ego qui fueram Veneris duriſſimus hoſtis,
Cedo, relangveſcit ſpiritus ille meus.
Haud tamen idcirco ſimiles delabar in ignes,
Invidiam fuerit depoſuiſſe fatis.
Sed te, quis Divûm docuit tam nobile carmen?
Qui tibi dictavit, Phoebus Amorne fuit?
Diſcipulum teneri jam me profitebor Amoris,
Si tam facundos, efficit ille, ſonos.
Hactenus alterno decuit contendere verſu,

Cer-

Vulg. v. 30 Quis tibi dictavit? Phoebus Amorve fuit?

Certandi hic fiat, dulcis amice, modus.
Exin' pacifero placidus me carmine visas,
Et crebro a nobis te patiare legi.
Quippe tuas quanti faciam, doctissime, Musas,
Alterius fias certior ore volo.
Ipse ego contineo conantem erumpere vocem,
Ne qua blandiri me tibi parte putes.
At tu cum molli velox genitrice Cupido,
Figite de nostra nulla tropaea fuga.
Quod cessi, haud ideo laetos agitate triumphos,
Nec vestros currus florea serta tegant.
Non me captivum, sed amicum ex hoste parastis,
Pacem vobiscum conciliatus ago.

Ad Franciscum Durantum Fanensem.

ELEGIA XI.

Quas tibi pro tali referemus carmine grates?
O decus, o patriae, gloria magna, tuae!

Ut placido cantu noſtras demulſeris aures,
Grande foret verbis explicuiſſe meis.
Nec me adeo gelidae demulcet ſpiritus aurae,
Nec me adeo murmur lene ſonantis aquae,
Nec me delectant aeſtivae gratius umbrae,
Arbore nec mollis ſub viridante ſopor.
Nec ſvavis tepidi veris mihi gratia, nec Sol
Dulcior hibernis eſt mihi temporibus.
Terque quaterque tuos uno ſtans in pede verſus
Perlegi, et fixo lumine ſemper hians.
Protinus obſtupui, cujus de gurgite fontis
Fluxerit ingenii, copia tanta, tui.
Et merito obſtupui; numerus jucundus in illis,
Et lepor, et gravitas, et ſonus ipſe facit.
Aut tu grandiſonum ſervas ſub corde Maronem,
Aut tibi in arcano pectore Homerus adeſt.
Non opis eſt noſtrae dignas tibi reddere grates,
His me qui ſtudiis invigilare mones.

Ad Antonium Mariam, de conjuge ducenda.

ELEGIA XII.

En novus ad noſtras perfertur nuntius aures,
Te ſtudium ſacris applicuisſe toris.
Gaudeo, et hoc coeptum ne mens tua deſerat, hortor,
Propoſitum laudo, conſiliumque tuum.
Eſt bona pars hominum, thalamos quae damnat et odit,
A quorum numero me procul esſe velim.
Ipſe Deus fertur lectum ſtatuisſe jugalem,
Cum lutulenta hominem compoſuisſet humo.
Neve aliquis ſeros caelebs remaneret in annos,
Romanae cautum legibus urbis erat.
Ergo et Romulidis ſacratae vincula taedae,
Conſtat et aeterno complacuisſe Deo.
Iure tua eſt igitur cuivis laudanda voluntas,
Iure igitur conjux, et pater esſe cupis.
Sed feſtas matura faces cum tempora poſcent,

Lux-

Luxque celebrandis venerit apta toris;
Quilibet egregio tecum certabit amicus
Munere, dans animi, pignora certa, sui.
Nos nec ebur nitidum, nec fulvi dona metalli,
Nec dabimus culta, tegmina facta, manu;
At saltem argutum numeris Hymenaea canemus,
Dicemusque aptos, ore sonante, modos:
Sed tamen interea Superos orabimus omnes,
Fundemusque preces, et pia vota Deis;
Ut te dignentur casta donare puella,
Quae referat mores, non aliena, tuos.
Praecipue nostris offertur idonea votis,
Diva, domum cujus sustinet altus Eryx:
Hanc igitur votis, et supplice voce, vocabo,
Haec placido justas excipit ore preces:
Alma Venus, cujus, quicquid fert pontus et aether,
Quicquid alit tellus, gignitur officio;

Na-

---

v. 17. forte leg. secum. v. 21. Hymenaea, pro Hymenaeon, more sui aevi dixit et hic et infra Eleg. XV. v. 6.

Nata Tonante Venus, qua nulla potentior alto
Regnat Diva polo; nata Tonante Venus!
Sive Cytheriaca ſegnis ſpatiaris arena,
Sive Gnidi celebras litora, ſive Paphi,
Sive ſub Idalia requieſcis molliter umbra,
Sive in Acidalio corpora fonte lavas,
Huc ades, et niveas ſrenis adjunge columbas,
Te Charites, geminus te comitetur Amor.
Et quoniam duce te, Phrygius ſua praemia judex
Vexit ad Iliacas, per freta longa, domos;
Da, valeat caſtam, duce te, reperire puellam,
Hic, pro quo blandas fundimus ore preces.
Tu cultus matrum, tu formas, Diva, recenſes,
Tu loca ſidereo lumine cuncta notas.
Quicquid agunt terrae, coelo ſpecularis ab alto,
Cernis quo maneat bella puella loco.
Tu ſis monſtratrix, tu mutua foedera junge,
Tu compone ſuo, corpora bina, toro.
Hoc, precor, efficias; ſic, dum cum Marte jacebis,
Impediant lectum, vincula nulla, tuum!

Sic

Sic habeas juvenes, femper tua figna fequentes,
Militiamque tuam multa puella colat!
Sic tua Panchaeis nunquam vacet ignibus ara,
Nec timeat faevos, Idalis umbra, Notos!
Sic femper niveis fuperes Tritonida membris,
Nec vincat formam, Iuno fuperba, tuam!
Sic nunquam trepidae fugiant tua frena columbae,
Sub juga nec jusfus, ire recufet olor!
Difce autem, qualem pofcant mea vota puellam,
Ne te quaerentem, devius error agat.
Effice, praeclaris fponfum virtutibus aequet,
Labe vacent mores, corpora labe vacent.
Nobilis eft fponfus; generofam quaere puellam;
Eft facilis; facilem quaerere, Diva, ftude.
Eft pius, eft prudens, gravis eft, moderatus et aequus,
Sit pia, fit prudens, aequa, modefta, gravis.
Fac fervet caftos, plus quam Lucretia, mores,
Quippe vir eft ipfo caftior Hippolyto.

In-

Vulg. v. 61. pro, *autem : tuam.*

Integer est sponsus; sanctam perquire puellam,
Est mitis; mitem quaerere, Diva, stude.
Et quoniam ingenuas, sponsus non negligit, artes,
Quodvis femineae calleat artis opus.
Stamine praegnantem, norit bene volvere, fusum,
Et Tyrium Phrygia pingere tegmen acu.
Palladio raras, denset bene pectine, telas,
Velleraque artifici, molliat alba, manu.
Sit facie praestans, ut sidera vincat ocellis,
Ejus, sit formae, forma secunda, tuae.
Purpureisque genis candorem misceat; aequent
Lactea colla, nives; rubra labella, rosas.
Haec si praestiteris, violas et lilia passim,
Spargam, devota, per tua templa, manu.
Tum laudes cantabo tuas, et tura cremabo,
Quae legit in silva divite mollis Arabs.

Ad

Ad eundem.

ELEGIA XIII.

Senſimus, Antoni, Romanam pergis ad urbem,
Felices, dextro ſidere carpe, vias,
Sed quoniam Romae pollet tua plurima virtus,
Eſt tibi cum ſummis, gratia magna, viris,
Te norunt omnes et amant; te maximus unum
Praeſes Romanae diligit Eccleſiae,
Quare age cum dominam terrarum intraveris urbem,
Ne mea Lethaeis, nomina trade, vadis.
Eſto memor Muſae, quae te cecinitque canetque,
Succurrant animo, munera noſtra, tuo,

Epithalamium in Matthaeum Herbam Mediolanensem, et Margaritam Costabilem Ferrariensem.

ELEGIA XIV.

Non opus est citharis, ad sacra jugalia, vestris,
Bellerophontei, turba verenda, chori;
Huc potius, roseo, redimitus tempora, vinclo,
Legitimas dextra concutiente faces,
Huc ades, et taedis faveas, Hymenaee, maritis,
Haec est tutelae, subdita cura, tuae.
Tu mea plectra move, dignis ut versibus aequem,
Sponsorum laudes, tu mea plectra move.
Te duce, pulcher Hymen, Matthaeo jungitur Herbae,
Costabilis casto, casta puella, viro.
Ambo pares, ambo multa virtute decentes,
Congruit hic nuptae, congruit illa viro.
Sive velis formam, sanctosque requirere mores,
Praestat et illa nurus, praestat et ille viros.

Si-

Sive domos veteres, et ſtemmata noſcere mavis,
Nobile, ſponſa, genus; nobile, ſponſus habet.
Demum ſive genus maternum, ſive paternum
Quaeras; et matre eſt, et generoſa patre.
Ipſe etiam amborum, vir, nobilitate parentum
Pollet, et antiquis inclytus extat avis.
Patria non eadem eſt; Ferraria protulit illam,
Angvigerae pater huic urbis alumnus erat.
Una puellarum formas ſupereminet omnes,
Poſtquam in virgineo, conſtitit apta, choro.
Non aliter totum cum plena receperit orbem
Condit fraternas, obvia luna, rotas.
Ne tamen ignores, cujus ſit nata parentis;
Coſtabilis genuit Bartholomaeus eam,
Vir gravis et prudens, fortis, moderatus et aequus,
Multum Principibus gratus et inde ſuis.
Cum foret orator Venetam legandus in urbem,
Angvigerumve ducem; Bartholomaeus iit.

O-

Vulg. v. 32. erat.

Omnes vero, quibus Ferraria pulchra superbit,
Costabilem notum est, exsuperare domos.
Sive vetustatem grandesve requiris alumnos,
Haec vetus, haec claris est generosa viris,
Sed mora longa foret percurrere singula verbis,
Nec caperet tantum, grande volumen, opus.
Finem igitur faciam, videar ne longior aequo,
Sermonem longum non amat hora brevis.
Ante tamen, cui terra, fretum, cui sidera parent,
Supplice communem voce rogabo Deum;
Sospitet ut nuptam tranquilla pace, virumque,
Et duo cara bona pectora jungat ave.

Epithalamium ad Gulielmum Calefinum et Flordemiliam Guarinam.

ELEGIA XV.

Princeps, magnorum laudes transgresse parentum,
Inter Romuleos, dux numerande, duces,

Horum praeclaras sponsorum expromere dotes
Constitui, et nulla, dicere verba, mora.
Nec vero summo Phoebum de culmine Cirrhae,
Non dulces Musas, non Hymenaea voco,
Ad mea metra tuum, Princeps memorande, favorem
Confer; inexpertae, dirige vela, ratis.
Tu nobis Hymenaeus eris, tu magnus Apollo,
Tu mea Castalio nectare labra fove.
Vos autem nobis placidas praebebitis aures,
Sic major nostro vis erit ingenio.
Offert se primum nobis Calesina propago,
Quae vetus, et claris est generosa viris.
Ferrariae civem quae te, Gulielme, creavit,
Cui datur haec lecto, grata puella, viro.
Quem probat effectus; doctorem insignia monstrant,
Hoc tibi sacra decus philosophia dedit.

Ac-

Vulg. v. 5. summum. v. 6. Hymenaea, pro Hymenaeon, uti supra Eleg. XII. v. 21.

Accedit quod avus Calefina e ſtirpe Ioannes,
Eſt tibi, quem gravitas luſtrat et alma fides.
In quo tanta viget virtutis opinio, tantum
Iuſtitiae nomen cuncta per ora volat,
Ut Princeps gravium majora negotia rerum,
Ejus mandarit ſemper agenda fide.
Nunc quia tota tuas callet Ferraria laudes,
Majoreſque tuos, progeniemque tuam;
De te haud plura loquar, nec quae te forma decoret
Edam, cum formae cedat Apollo tuae;
Sed ſponſae egregias percurram ex ordine laudes,
Cujus me nomen, metra referre vetant.
Aſt valeat nomen, praeſtet cognoſcere mores,
Et quam forte nequit nomen, imago notet.
Ut flos, de mille una gravi redimita pudore,
Inter matronas nomen adepta micat.
Formoſa huic formam tribuit Cytherea decentem,
Huic pharetrata ſacram, Diva, pudicitiam.
Huic Pallas multo replevit pectora Phoebo,

Edo.

Edocuitque artes, Penelopea, tuas.
Cum quid acu insignit, Coas superare videtur,
Sidoniasque simul Dardaniasque nurus.
Huic regina Deûm, conjux Iovis, aurea Iuno,
Matronale decus cum gravitate dedit.
Cernitis eximias specioso in corpore dotes,
Qualis et in niveo splendeat ore decor?
Sed tamen has animi superat virtutibus altis,
Nec minus ornatum corpore pectus habet.
Haec pietate Deum colit, haec pietate parentes,
Et formam morum nobilitate premit.
Forte roget quisquam, quo sit generata parente,
Attenta voces imbibat aure meas:
Hanc de doctiloquo genitam sciat esse Guarino,
Mercurius geminum cui dedit eloquium.

Quem

Vulg. post v. 38. hoc ordine: 1. Huic regina. 2. Cernitis. 3. Sed tamen. 4. Cum quid. 5. Haec pietate. cet. v. 43. spatioso. v. 46. pectore corpus. v. 50. ore.

Quem loquor en! praeſto eſt, quisnam de ſangvine natum
Humano talem cenſeat esſe virum?
Hunc genuit Verona parens, aluere Camenae,
Hunc docuit reſona pulcher Apollo lyra,
Hunc genus, integritas, hunc forma auguſta decorat,
Et gravitas, et cum relligione fides.
Quid tantum ſanctos ſtupet urbs Romana Catones?
Quidve ſtupet ſeptem, terra Pelasga, viros?
Socrate quidve ſuo doctae laetantur Athenae?
E quibus huic aliquem praepoſuisſe nefas.
Doctus Romano, doctus ſermone Pelaſgo,
Sive velit proſa ſcribere, ſive metro.
Cum dicit proſa, Ciceronem dicere jures,
Cum cantat numeris, creditur esſe Maro.
Plurima conſcripſit per ſe ſermone Latino,
Plurima de Graja tranſtulit hiſtoria.
Inclyta ſemper erunt rerum monumenta, vigebunt
Cum tot magnificis ſcripta voluminibus.
Semper erunt libri; qui ſcilicet ipſius omnes

Prae-

Praescriptum summo margine nomen habent.
Per quos aeternum vivet mage splendida fama,
Donec erit Phoebus, sidera donec erunt.
Nec plus a magno scripti Cicerone libelli
Stabunt, aut nomen, Quintiliane, tuum.
Et cum Getulo, saevus Catilina, Iugurtha,
Et cum Romana Livius historia.
Clarus ab Eoïs qua sol jubar exerit undis,
Qua rubro emeritos gurgite condit equos,
Zona vaporifero qua subjacet ardua Cancro,
Qua micat in gelido Maenalis ursa polo,
Hunc omnes novere hominem, nec laudibus ullis
Clara potest tanti crescere fama viri.
Finem igitur praestat longis imponere verbis,
Ne reus immensae garrulitatis agar.
Sed prius aeterno, qui colligat omnia nexu,
Orabo summum, supplice voce patrem;

Ut

---

v. 73. menda videtur in; *mage.* v. 77. pro, Et, forte leg. Aut.. v. 78. forte leg. Aut.

Ut det conjugibus concordem ducere vitam,
Vos placido dictis ore favete meis.

Epithalamium in Liberam Guarinam et Salomonem Sacratum.

ELEGIA XVI.

Coelicolae magni, thalami quis foedera curae,
Vos primum coeptis, quaeso, favete meis.
Te voco post Divos, Italae, dux inclyte, gentis,
Quem virtus illis reddidit alma parem.
Tertius ad tantos accede, Guarine, favores,
Post Superos merito proxime, postque duces.
Quem si consilio mortales ante putabam
Vincere; nunc ipsis praefero jure Deis,
Quod talem natae delegeris ipse maritum,
Quo te non poterat dignior esse gener.
Ipse est en Salomon, quem praesto hic stare videtis,
Cui semper cordi est intemerata fides.

Vir

Vir locuples, facilis, justus, sectator honesti,
Antiquo prudens nec Salomone minus.
Non cupiebat opes; quas si illi fata dederunt,
Fundit non parca, munera multa, manu.
Hunc autem genuit, talique superbit alumno,
Sacrata haud falso nomine dicta domus;
Qua non hac tantum nulla excellentior urbe,
Sed ferme tota floret in Ausonia.
Haec Majola fuit prius appellata propago,
Cum coleret terras, Parma beata, tuas.
Iam bis centenos exegit Cynthius orbes!
Ut liquit patrium seditione solum.
Pars inde angvigeram, pars hanc migravit in urbem,
Ornavitque altis, oppida bina, viris.
Sunt huic tot clari, tanta de stirpe, nepotes,
Sunt Priamus, fratres, Laomedonque simul.
E quibus ille reos, aegrotos iste tuetur.
Has illis artes magnus Apollo dedit.
Nec quod ter denos sponsus transegerit annos,
Optio Guarini corripienda venit.

Haec est conveniens taedis genialibus aetas;
Haec extrema fugit, temperiemque tenet.
Nec matura nimis siquidem, nec cruda videtur;
Sed media aetates tangit utrinque duas.
Namque senectutem citra est, ultraque juventam;
Corporis hinc pollet viribus, inde sapit.
Nunc sponsae ad dotes, animos convertite vestros;
Quae re, non casu, Libera, nomen habet.
Sunt illi castusque pudor, moresque probati,
Artificesque manus, formaque digna Deá.
Si tamen haec deessent, pater extat nempe Guarinus;
Hoc uno posset laudis habere satis.
Quem nisi de summo, nobis misisset, Olympo,
Iupiter, in tenebris lingva Latina foret.
Sed fateor, veniam tribuat precor ille fatenti,
Haud statui laudes, nunc memorare, suas.
Seu quod, quo potui, prius illas, carmine dixi,
Seu quod diffido viribus ipse meis.

Nec

Vulg. v. 33. genitalibus.

Nec me multa loqui patitur vis parva canendi,
Nec fas de tanto, dicere pauca, viro.
Sat fuerit Divos miti rogitasse precatu,
Ut tribuant istis, omnia laeta, toris.

v. 54. forte legendum: omina.

Ad Borsium Estensem, Marchionem Ferrariae, Ioannes de Gaibana, per Ianum Pannonium.

ELEGIA XVII.

Marchio, magnorum, decus immortale parentum,
Marchio, Ferrariae, portus et aura, tuae;
Unde meum sumet primordia debita carmen,
Dum studeo laudes commemorare tuas?
Iustitiamne tuam coner prius edere, qua nec
Immunes pravos, nec sinis esse bonos?
Qua fraus supplicium, qua fert sua munera virtus,
Qua reddis cunctis, praemia digna, viris.
An potius referam, salvo quod iure sacratae
Iustitiae, pergas non tamen esse ferox?

Sed perſaepe reo poenae de parte relaxes,
Et caedas virgis, qui cruce dignus erat?
Quam doleas cum te cogunt ſcelera esſe ferocem?
Parcere quam properes, laedere ſero velis?
Quanta tuumne canam decoret prudentia pectus?
Qua clarus canas factus es ante comas.
* *.
Cuncta per hanc praeſens quae fert, intelligis, aetas,
* *.
* *.
Ipſe ſui aſpectus auſus adire tuos.
Et me qua reliquos, regum placidisſime, fronte
Excipis, et dulces fundis ab ore ſonos.
Quando loqui volui, pro voto cuncta loquebar,
Et tua erat verbis, auris aperta, meis.
Obtuleram quae ſunt a paupere dona ferenda,
Quantula erant, vidi grata fuisſe tamen.

Ve-

v. 15. forte leg. canamne tuum. Vulg. v. 16. Quam. Poſt v. 16. Deſunt quaedam. v. 18. intelligit. poſt hunc verſiculum multa deſunt.

Verum quae tandem meritorum ſumma tuorum
Erga me fuerit, commemorare juvat:
Optavi medicas perdiſcere ſaepius artes,
Quae multum ante omnes utilitatis habent.
Opto, ſed eſt noſtris paupertas invida votis,
Et nullo tenuis aſſe crumena tumet.
Me tua ſancta manus largo relevavit egentem
Munere, quae multos ſaepe levare ſolet.
Quippe emtis, rex magne, tuo fruor aere libellis,
O rex coelitibus aequiparande Deis!
Et tua quottidie foribus ſtat aperta recluſis,
Ingredienda meo bibliotheca pede.
Nec tua Lethaeas fluitant benefacta per undas,
Nec nant a rapidis per freta rapta Notis.
Vel lux eſt, vel nox, et nocte et luce laboro,
Ingratae mentis ne reus eſſe ferar.
Ut per multa tuam producant ſecula vitam,
Quod poſſum Superos, ſupplice voce rogo.

Cum

Vulg. v. 44. perducant.

Cum nequeam dignas verbis persolvere grates,
Est saltem meritis, mens mea grata, tuis.
Est, et semper erit, donec mea vita sub auras
Evolet, et flamma totus edace cremer.
Plus ego Tithono quamvis et Nestore vivam,
Et mea praetereat secula terna colus.
Ante Padus gelidas cursum reflectet ad Alpes,
Ante petet vetitum Parrhasis ursa mare,
Quam cesset mea Musa tuas percurrere laudes,
Et te qua poterit concelebrare lyra.
Praecipias; saevis pro te freta turbida ventis
Ingrediar, telis pectora nuda dabo.
Scyllam, atque adversam Scyllae haud horrebo Charybdin,
Et quas eructat Sicelis Aetna faces.
Quin etiam postquam tenuis me clauserit urna,
Non parcam laudes enumerare tuas,
Quicquid ero, aut rursus me membra humana tenebunt,
Sive fugax cervus, sive volucris ero.

Vulg. v. 55. quae,

Consultatio Dei Patris et Filii de perdendo hominum genere; quos tandem B. Virgo exorat.

ELEGIA XVIII.

Sederat Omnipotens, medio sublimis Olympo,
Subdideratque oculis, condita cuncta, suis.
Lustrabat tractusque maris, terrasque patentes,
Quicquid et astriferi clauditur axe poli.
Paullatimque hominum defixit lumina rebus,
Ut studia humani cerneret ingenii;
Ut vitam et mores, ut vota et gaudia nosset,
Quod quisque effugeret, quod sequeretur opus.
Conspicit implicitum tam multis fraudibus orbem,
Tot scelerum facies, et mala tanta videt.
Insanas hominum curas, vota improba cernit,

Et

Vulgo inscribitur hoc carmen: De laudibus pontificis et rerum humanarum conditione. v. 5. defixi.

Et nullo in terris esse in honore Deos.
Hic petit excidiis urbes, per tela, per ignes
Tendit, ut innumeras undique cogat opes.
Ille armis violat leges, hominesque Deosque,
Subdat ut imperio, regna aliena, suo.
Ense petunt alii fratres, carosque parentes,
Cumque suis alii bella nefanda gerunt.
Furta juvant multos, foenus, saevaeque rapinae,
Fanaque direptis, exspoliata Deis.
Decipit hic dominum, fraudem parat ille parenti,
Emtori varios injicit ille dolos.
Pars amat ingentes sumtus, luxumque superbum,
Laetaque magnificas aedificare domos.
Pars Venerem sequitur, caecique Cupidinis ignes,
Pars sequitur rabidam, luxuriosa, gulam.
Hi spernunt Stygiosque lacus, poenasque malorum,
Quaeque manent animas, praemia certa, pias.

Con-

v. 12. pro: *nullo in terris*, legendum: nullo terris. Vulg. v. 20. proh spoliata.

Contemnunt illi Superos, Superûmque parentem,
Nec pudor est, ullos esse, negare Deos.
His pater attonitus studiis, votisque virorum,
Hoc, doluit vili posse licere luto.
Indoluit simul et magnas exarsit in iras,
Aestuat ira gravi mista dolore fremens.
Ut quondam pleno fluctus furit actus in alto,
Aut ubi sulfureis mons sonat intus aquis.
Tandem ubi conceptus paullum deferbuit aestus,
Concilium toto, convocat inde, polo.
Undique conveniunt Superi, circaque residunt,
Incipit a solio, sic prior ipse, suo:
Ecquid Coelicolae vestros spectatis alumnos?
Cernitis humanum, quo ruat usque, genus?
Quem tandem inveniet nostra haec patientia finem?
Aut haec ducemus quam toleranda diu?
Quis jam virtuti locus est toto orbe relictus?
Quis toto sceleri non patet orbe locus?
Quid

Vulg. v. 34. fremit. v. 35. reposuimus: *in alto*, v. 36. forte leg. tonat.

Quid non dira fames auri, regnique cupido,
Fas putat? imo sibi quid putat esse nefas?
In Venerem ruit omne genus, gula conficit omnes,
Vitaque pro rapida perditur ingluvie.
Iam mores, legesque omnes, jura omnia pulsa,
Religio, pietas, canaque pulsa fides.
Caedibus et bellis, et fuso sangvine flagrat
Terra, nec est nati tutus ab ense parens.
Concurrit, ruptis inter se legibus, orbis,
In clademque, ruunt omnia versa, suam.
Mersa est flagitiis tellus, de culmine summo
Pendet, et in praeceps corruit omne genus.
Nos neque jam norunt, nec coelo vivere credunt,
Aut quenquam aetherei sceptra tenere poli.
Fulmina contemnunt, poenas et Tartara rident,
Et quisquam in terris Numina nostra colat?
Heu! genus ingratum, nostra sub imagine cretum
Poenitet, e facili compositumque luto.

Non-

v. 64. forte leg. composuisse.

Nonne mare, et terras, quemque ipsi habitamus, Olympum,
E nihilo nostrae constituere manus?
Quisnam opibus terram, quis piscibus imbuit undas?
Quis posuit nitido, sidera clara, polo?
Edita sunt nostro, (quis nescit?) Numine cuncta,
Sunt tamen ingratis, edita cuncta, viris.
Nos illis gravidam, numeroso munere, terram,
Nos dedimus latum, qua patet usque, mare.
Spem quoque praebuimus regni post omnia nostri,
Atque hujus socios jussimus esse poli.
Illi autem elati imperio, rebusque secundis,
Vertere in cladem, munera nostra, suam.
Segnitie, mollique animos deperdere luxu
Coepere, et miris degenerare modis.
Sed neque destitimus carum praestare parentem,
Humanumque omni parte juvare genus.
Tradidimus sacras coeli de vertice leges,
Sed sprevit leges, impia turba, meas.

Mi-

Vulg. v. 71. illi.

Misimus et vates, vates sprevere sacratos,
Misimus atroces, nec timuere, viros.
Denique conceptum divini Numine verbi,
In terras Natum mittere non piguit.
Imo ego descendi, pariter descendimus ambo,
Sedimus et gremio, Diva pudica, tuo.
Vos mihi Coelicolae testes, quis me impia poenis
Sustulerit, leto, turba redemta, meo.
Sed mea praetereo, pereunti debita mundo
Fata; quis e vobis non mala mille tulit?
Quot ferro, quot aqua absumti, quotque igne cremati?
Corpora quot rabidis dilaniata feris?
Ecquid, ut aetherea pellant nos sede, moramur,
Et coelo admotis montibus arma ferant?
Tollamus scelerum auctores, causasque malorum,
Deleat invisum, flamma inimica, genus.
Iam satis humani tulimus ludibria fastus,
Sat vobis Superi, sat tibi, Diva, datum.
Desine me genitrix lacrymosis flectere verbis,
Desinite ingratas vos mihi ferre preces.

Con-

Consulite in medium, et varias deponite mentes,
Solvatur tantis, terra polusque, malis.
Talibus attoniti dictis, diversa fremebant,
Obscuroque dabant, murmura caeca, sono.
Ut procul in silvis cum surgere ventus opacis
Incipit, aut imis murmurat unda vadis.
Atque ibi dejecto, mater moestissima, vultu,
Suppliciter tales, fundit ab ore, sonos:
Nate tuae, (quid enim superest?) spes unica matris,
Quo solo videor nomine freta loqui.
Nate, quid indignas, mitissime, surgis in iras?
Quae nova tam subiti causa furoris adest?
Et quae tanta tuum laeserunt crimina Numen,
Ut nullus veniae jam locus esse queat?
Quid? tua non omnem superat clementia culpam?
Anne animum minuit, noxa aliena, tuum?
Ulcisci quos, Nate, paras? quos perdere tentas?
Cum quibus, o Superûm maxime, bella geris?

Non-

Vulg. v. 117. Quid tua.

Nonne hominum genus ecce tuum, tua pignora perdis?
Duxerat e molli, quos tua dextra, luto.
Quid juvat invalido Martem exercere ſub hoſte?
Quid juvat in praedam ſaevior eſſe tuam?
Quae tibi cum vili bella ac certamina gente?
Aut quae deletis, laus tibi parta, viris?
Cui mare, cui terras, cui cetera tradis habenda?
Quae rerum facies, Nate, quis uſus erit?
Fruſtra igitur magni moles erit edita mundi?
Fruſtra erit ad motus irrequieta ſuos?
Fulgebunt nitido nequicquam ſidera coelo?
Et peragent notas, per ſua ſigna, vias?
Cui feret innumeros, tellus uberrima, fructus?
Servabit tantas cui gravis alvus opes?
Cui pecudes alet illa ſuas, volucreſque feraſque?
Et vaga cui piſces nutriet unda ſuos?
Sublatis tot, Nate, viris, tua dona perire,
Et ſqualere tuum, ſic patieris, opus?

Fer-

Vulg. v. 135. ille. v. 136. ſuas.

Ferre potes vacuum, caesis cultoribus, orbem?
Haeredem tantis, nec superesse bonis?
Sed tibi sic placitum; sint omnia condita frustra,
Et pereat tanti, Nate, laboris opus;
Tune etiam poteris coelo delapsus ab alto,
Nequicquam in nostro procubuisse sinu?
Num poteris laceros variis cruciatibus artus,
Nequicquam indignae, Nate, dedisse neci?
Nequicquam tantos poterit tolerasse dolores,
Obsequitur jussis, dum pia turba, tuis?
Si te nulla movet tantorum causa laborum,
At moveat, debet quem tibi mundus, honor.
Quis tibi sacra feret? quis templa arasque dicabit?
Quis sparget nomen, cuncta per ora, tuum?
Nemo aderit qui vota ferat, qui Numen adoret,
Quin nullum in terris jam tibi Numen erit.
Otia ages coelo, duces inglorius aevum,
Et tua te facient munera nulla Deum.

Cui

---

v. 141. forte legendum: Si tibi sic. vel: Sed tibi si.

Cui veniam dabis? admisso quem crimine plectes?
Ostendes cui te, per tua jura, Deum?
Jactabis vacuis, nequicquam fulmina, terris,
Fulminibus nemo, qui moveatur, erit.
Non pater, exhausto, non rex, non arbiter, orbe,
Quid multa? exhausto, non eris, orbe, Deus.
Non faciunt simulacra Deos, non templa, nec arae,
Imperium in cunctos, arbitriumque facit.
Cui porro imperites? tua quem sententia damnet,
Si tibi subjectum deleat ira genus?
At vitiis intenti homines, jacet obruta virtus,
Nec quisquam toto jam colit orbe Deum.
Labitur interdum, varioque errore tenetur,
Infirmum, fateor, desipiensque genus.
Quid faciant vili membrorum carcere septi?
Quid faciat vili, massa subacta, luto?
Tu quoque, deposito, fateamur vera, timore,
Das tantis causam, materiamque malis.

Im-

Vulg. v. 162. erit.

Imbelles homini ſenſus, ſtimuloſque, dediſti,
Duxiſti e fragili mollia membra luto.
Quid referam tot opes, inſani pabula luxus?
Quid Veneris ſtimulos, ingluviemque gulae?
Praeterea quantis obnoxia vita periclis!
Me miſeram! quantis continuata malis!
Et mirum eſt ſi quid mortalia pectora peccant!
Quis valeat tantos exſuperare dolos?
Sed tamen agnoſcunt crimen, culpamque fatentur,
Et facti veniam, ſupplice voce, petunt.
Nec ſunt magna tamen mortalis crimina culpae,
Si modo de miſeris credere vera potes.
Quin virtus totum, pietaſque eſt magna per orbem,
Totaque delubris terra referta tuis.
Aſpice, quae plenis hinc atque hinc ſedibus omnes
Circumſtant, animas, quis niſi terra dedit?
Sed ſane ſint magna hominum peccata, nec usquam
Sit

v. 175. forte pro, *ſtimuloſque* legendum: *animoſque*. Vulg. v. 179. quamvis. v. 184. ſuppliciumque. v. 187. Quae. v. 190. animae.
Poſt

Sit pietas, esto, sit tibi nullus honos;
Si tamen haud ullae possunt te flectere causae,
Et certum est poenas sumere ab orbe graves,
Affice suppliciis sontes, et noxia tantum
Corpora, at immeritum perdere parce genus.
Suppliciis sontes (nisi mavis parcere cunctis,)
Da, decet; hoc omnes aequius esse putant.
* *
* *
Magna fuere quidem, et quae ullis promittere votis,
Vel quamvis avidus non foret ausus homo.
At quantum est minimo totum se immittere pani,
Et magnum exiguo claudere in orbe Deum?
Quantum est, se nobis totum praebere fruendum,
Et tamen a toto comminuisse nihil?
Cum dedit illa quidem, vicit sua munera Christus,

Cum

Post v. 190. quatuor disticha hoc ordine semet excipiunt: 1. Sed fane. 2. Suppliciis. 3. Si tamen. 4. Affice. Denique post v. 179. cetera ad finem usque, turbata, luxata, misereque corrupta ac depravata sunt.

Cum dat se, donis vincitur ipse suis.
O amor, o pietas! post omnia se dedit ipsum,
Qui se jam dederat, plus dare quid poterat?

Finis Libri secundi Elegiarum
IANI PANNONII.

IANI PANNONII

EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

(Continentur hoc Libro Epigrammata ea; eodemque ordine, quo in MSto. Viennensi extant; quorum quae adhuc nunquam integre edita, vel prorsus inedita fuerunt; stella sive asterisco notantur.)

De electione Matthiae regis Ungariae, Epigramma I.

Cum videt Hungarici vectum ad fastigia regni
Matthiam; presso gutture corvus ait:
Illa ego vexillis, ales gestata paternis,
Iam fateor geminae cedere laeta cruci.
Sin vel sculpar adhuc, vel pingar forte sub illa,
Ingens, et voto gratia major erit.

Com-

Vulg. v. 1. Dum. Ibid. evectum. v. 5. Sim.

Comprecatio Deorum pro rege Matthia in Turcos bellum parante. II.

Rex pia Matthias in Turcos ſigna reſumit,
Nunc age de toto Numina adeſte polo.
Da clavam, Alcide, juveni, da, Phoebe, ſagittas,
Mars, gladium; Pallas, Gorgona; Caſtor, equum.
Mulciber arma para non ullis pervia telis,
Qualia Pelidae, Dardaniove duci.
Hunc inter pugnae certamina, vulnere ab omni,
Aegide praetenta, Iupiter, ipſe tegas.
Quodſi lenta juvant reſidis vos otia vitae,
Solum ſiderea, mittite ab arce patrem.
Sufficit ille ſuo cuſtos in praelia nato,
Ille modo in coelo misſile fulmen habet.

Con-

Vulg. v. 1. pro, *ſigna*, bella. v. 2. Huic age. v. 3. Alcides.

Conqueritur de mora regis. III.

Horrida saevit hyems, et adhuc, rex inclyte, bellas,
Excutiunt densae, nec tibi tela, nives.
Ipsos triste gelu vaginis detinet enses,
Nec possunt rigidae, frena movere, manus.
Tu tamen et pugnas misces et moenia frangis,
Tantum vel Martis, vel genitoris habes.
Otia jam placeant; castris mox rite locandis,
Commodiora novi tempora veris erunt.

De captivitate Dragulae Wajvodae Transalpini. IV.

Dicite, Iö Paean! captus fert vincla tyrannus,
Si modo non falsum publica fama sonat.
Dicite rursus, Iö Paean! et carmina festis,
Pierides Nymphae, jungite festa choris.

At

Vulg. v. 3. carmine.

At tu, cui nullo decus hoc cum sangvine venit,
Ut quid jam medio frigore victor abes?
Hoc unum cuncti te supplice voce rogamus,
Redde tuos vultus, rex venerande, tuis.
Sin populi nil vota movent; hoc sponsa precatur,
Hoc genitrix; an et his, dure, negare potes?

v. 6 *Ut quid*, videtur corruptum.

Conqueritur de mora regis Matthiae in Moldavia, V.

Sarmatici montes, et vos septemplicis Istri
Caerulea Euxino cornua mixta mari,
Ac tu Romanis olim possessa colonis,
Sed jam corrupto, barbara terra, sono;
Quid dominum lentis longe retinetis in armis?
An gelidum Tanain vultis ut ille bibat?
Plena quater, totidem complet jam Cynthia menses,

Di-

Vulg. v. 1. Dalmatici.

Dicere adhuc magno, nec licet ore; Venit!
Quando erit ut redeat? quando redimita coronis
Plaudet laeta suo Buda Neoptolemo?
Reddite, si pudor est, absentem reddite tandem,
Nubere parva viro, jam Catharina, potest.

De Catharina Regina Hungariae. VI.

Nostri primus amor, stirps regis clara Boëmi,
Post matris lacrymas, oscula pauca patris,
Cum jam Pannonicas avecta inviseret oras,
Edidit hos praesens Calliopea sonos:
Mutasti patriam, mutare vocabula debes,
Sis Catharina, volo, quae Cunegundis eras.

Vulg. v. 4. Reddidit.

Ad Martem, precatio pro pace. VII.

Gradive, quinti clare dominator poli,
Spargens coruscas luce sangvinea jubas,

Iunone magna genite; Saturni nepos;
Tutela coeli; fumme Titanum timor;
Gaudens tropaeis; pacis ac belli arbiter;
Decorator hominum; confecrator Numinum;
Gradive, ferro tecte femper fulgido,
Vaftator agrûm, disfipator urbium,
Vacuator orbis; Tartari impletor trucis,
Potor cruorum; devorator corporum;
Lues virorum; mulierum execratio;
Ditator inopum; pauperator divitum;
Ofor quietis; genitor obfcenae famis;
Auctor pavorum; concitor formidinum;
Iam parce fesfis, quaefo, Pannoniis, pater.

Gratulatur de duplici victoria Matthiae. VIII.

Nunc age, fi quando, facrum Paeana, Camenae,
Tollite dulcifonis, fidera ad alta, modis;
Qualem Phlegra Iovi cecinit, vel Lydia Baccho,
Sub juga, cum tigres India victa, dedit.

Sed Iovis et Bacchi felix victoria quondam
Magna licet fuerit, non duplicata fuit.
Matthiae gemini ſimul acceſſere triumphi,
Una ſimul fixit, bina tropaea, manus.
Nam Tranſſilvanae, ſubit en! Moldavia, palmae,
Non tam aſtu, ferro quam ſuperata gravi.
Succubuere duae, diverſis artibus, orae,
Hanc virtus, illam contudit ingenium.
Pugnavit nullo ſolers ibi ſangvine Pallas,
Hic Bellona ſuos, perculit ipſa, Getas.
Quid nunc ſancte, tuis optemus, Iane, calendis?
Talibus auſpiciis proximus annus eat!

De ſigno Ioannis Vitézii Archiepiſcopi. IX.

Dum fera Matthiae premitur Moldavia regi,
* * * * * * * * * * * * * * * * *.
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *.

Io-

Poſt verſiculum primum, integrum ſaltem diſtichon deeſt.

Ioannis signum praesulis istud erat.

Rettulit hoc domino, fusis, sua turma, Valachis,

Devota templis obtulit ille manu.

De signis, quae Moldavis erepta, in templo B. Virginis Budae suspendebantur. X.

Rex, tibi, Mathias, haec signa, puerpera Virgo,

Moldavis forti, nuper ademta, manu.

Quae modo barbaricas duxere in bella catervas,

Nunc sacro pendent conspicienda tholo.

O mactum virtute ducem! cui contigit uni,

In propria duros sternere sede Getas.

At tu, Diva, suis iterum sic annue votis,

Victor ut e Turcis mox tibi plura ferat.

Vulg. v. 1. pro, *tibi*, fert. v. 7. Illius at tu Diva iterum.

De divite laudante pauperiem. XI.

Candida reſtituit verſi clementia fati,
Triſtior abſtulerat quas tibi caſus opes.
Laudata veterum tu paupertate virorum,
De Cincinnatis diſſeris et Curiis.
Sic ubi ſecuros tetigit jam navita portus,
Ventorum faciles deſpicit ille minas.
Cum miſer es, mihi tunc, Matthia, Stoicus eſto,
Nunc impune tibi fortia verba volant.

Vulg. v. 8. fortia bella.

Se ipſum excuſat, quod non praelia tractet. XII.

Belligeri proceres, me regia caſtra ſequentem,
Ne fruſtra ignavi, carpite quaeſo, metus,
Quod nunquam adverſos decurro armatus in hoſtes,
Scando nec obſeſſi, moenia celſa, loci,

Sed

Sed ſpectator iners aliena pericula miror,
Non timor hoc, veſtri, credite, cura jubet.
Gloria nempe, viri, petitur longisſima vobis,
Haec faciles plagas, funera grata facit.
Quodſi pugnantem, rapiat ſors ulla, poëtam,
Quis veſtras mortes, funera veſtra, canet?

---

v. 7. pro, *longisſima*, in MS:o. erat: benignisſima.

---

* *Epitaphium Ioannis Hunyadi, Matthiae regis patris.* XIII.

Pannoniae murus, Turcorum terror in armis,
Si qua, Ioannes hac tegeretur, humo;
Sed ſub Belgrado mundi ſuperavit ut hoſtem,
Morte ſimul domita, ſidera vivus adit.
Multi laurigeris Capitolia celſa triumphis
Conſcendere duces; ſolus at iſte polum,

Palaeſtra Galeotti. XIV.

Qualis in Aetola moerens Achelous arena,
Herculea legit cornua fracta manu;
Talis luctator Galeotto fuſus Haleſus,
Turpia pulverea ſigna reliquit humo.
Matthiae regi Latiae placuere palaeſtrae,
Riſit Strigonia clarus ab arce pater.
At te ne pudeat ludi ceſſiſſe magiſtro,
Improbe, Mercurius noſter et iſta docet.

Vulg. v. 3. victus Haleſus.

De munitionibus ab Archiepiſcopo Strigonienſi conſtructis. XV.

Pannonici dum ſceptra tenet felicia regni
Matthias clarum ſtirps imitata patrem;
Condidit hoc paſtor Ioannes nobile ſeptum,

In patulo pofitae ne raperentur oves.
Pro quibus officiis, fuperae tu janitor aulae,
Sidera, Petre, duci, fidera pande gregi.

De cervo regium trahente vehiculum. XVI.

Quod nemorum oblitus, pofita formidine, cervus,
Non homines metuit, nec rabida ora canum;
Mollia fed leviter docili trahit esfeda collo,
Inclyte rex, meriti, quis neget esfe tui?
Talis cornigeris Diana jugalibus alte,
Frondofi vehitur per juga Taygeti.
Talis erat nondum famulorum praeda fuorum,
Compos adhuc mentis, verfus Agenorides.
Quis jam adeo ferus eft, tibi qui fervire recufet,
Accipiant ipfae cum tua frena ferae?

Vulg. v. 10. Accipiunt. Ibid. pro, *cum*, fi.

De corona regni ad Fridericum Caeſarem. XVII.

Quid retines noſtram, Caeſar Friderice coronam?
Fauſta unquam genti non fuit illa tuae.
Teſtis erit primae fraudatus flore juventae,
Henricus, Stephano quem pia Geſla dedit.
Teſtis bis pulſi letum miſerabile Petri,
Ac Salomoniacae, crebra ruina, fugae.
Teſtis quin etiam ſpollati caſus Othonis,
Nec non Alberti, mors properata, tui.
Teſtis et ille tua puer enutritus in aula,
Qui nuper thalamos occidit ante novos.
Horum tu, ſi quid ſapies, exempla timebis;
Felix, alterius qui cavet ipſe malo.
Nec tanti facies tam vani nominis umbram,
Fatorum ut ſimiles experiare vices.

Vulg. v. 4. Giſla. v. 9. ſq. totum diſtichon omiſſum.

Epitaphium Ioannis Hunniadis. XVIII.

Ioannes jacet hic, Turcorum ille horror in armis,
  Ille gubernatae gloria Pannoniae.
Hunjadum creat hunc, Comitem Biſtricia ſumit,
  Nandoris Alba rapit; nunc tenet Alba Iulae.

Ad Ioannem Archiepiſcopum Strigonienſem. XIX.

Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,
  O nunquam curis non agitate pater?
Hoc ave Caucaſia eſt ſine fine Promethea rodi,
  Hoc fulcire humeris ſemper Atlanta polum.
Tamne juvat nulla mentem requiete remitti,
  Sic leve continuis inſenuiſſe malis?
Nil eſt in terris, quod non aerumna fatiget,
  Nec tua perpetuo membra adamante rigent.
Trux quondam Alcides, vagus et requievit Vlixes,
  Credimus et dominum ſaepe vacare Iovem.

Si ſapis, ex aliqua, tuus eſto, parte, nec unquam
Sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

Ad Fridericum Caeſarem. XX.

Romula res olim Fabio cunctante revixit,
Nunc, cunctante eadem te, Friderice, perit.
Nam tu continue conſultas, nec facis unquam,
Mallem aliquid faceres vel ſine conſilio.
Quid tibi cum gelido Saturni ſidere inertis?
Caeſaribus mores Martis ineſſe decet.

Invitat regem Matthiam ad hoſpitium ſuum. XXI.

Sic tibi, ſed ſero, pateat domus aurea Divûm,
Matthia regi, rex adamate, Iovi;
Huc ades, et noſtris ſuccede penatibus hoſpes,
Neç modicum Princeps, deſpice magne, larem.
Fertur et immenſi pacator maximus orbis,
Parva Molorcheae, tecta ſubiſſe caſae.

Galeotti peregrinationem irridet. XXII.

Cur et tu, rogo, cur, poëta cum ſis,
Parnaſi tamen arce derelicta,
Cum capſa, Galeotte, cum bacillo,
Romanam peregrinus is in urbem?
Hoc plebs credula gentium exterarum,
Hoc larvas ſolitum timere vulgus,
Hoc turbae faciant hypocritarum.
Tu ſenti mihi, quod putavit olim
Vafri callidus Euathli magiſter,
Aut Divûm Theodorus abnegator,
Vel ſectae pater ille delicatae,
Summum qui ſtatuit malum dolorem.
Sin devotio jam beata cordi eſt,
Si torto juvat ambulare collo,
Cuncta et credere, quae dies per omnes,
Rauca praedicat altus e cathedra,
Albertus pater, et loquax Robertus,

Gau-

Gaudens lacrymulis anicularum;
Dilectis, age, dic valere Musis;
Sacras rumpe fides; et alma Phoebi,
Claudo carmina da fabro Deorum.
Nemo religiosus et poëta est.

Laudat opus Theologi cujuspiam. XXIII.

Quae dictas, ea nec dulci Lactantius aequet
Lacte fluens, nec culta Leonis homilia primi.

De jactura vitae humanae. E Graeco quod extat Antholog. L. I. cap. 90. XXIV.

Nocte cadente orimur, nihil anterioris habentes
Temporis, excepit nos simul alma dies.
Semper et hesterni vitam deperdimus aevi,
Principium reliquae lux modo nata facit.
Esse tibi multos senior ne dixeris annos,
Nam de praeteritis nil hodie retines.

De Thalete ab anu irriso. De Graeco. XXV.

Hauferat, intentum ftellis, fcrobs caeca Thaletem,
Cum fuper illudens talia dixit anus:
Tu, qui fata aliis te pandere posfe ferebas,
Nefcifti vitae fata videre tuae.

Vulg. v. 3. fua, pro *te*.

De lepore et vulpe. E Graeco. XXVI.

Dum lepus inftantes, curfu non effugit Umbros,
Vulpinam fubito vanuit in foveam.
Cui vulpes; Vos qui pedibus fic fiditis, inquit,
Cernite quam lentum plus valet ingenium!

In pumilionem. De Graeco. XXVII.

In latebris habita, ne te petat oris acuti
Cufpide Pygmaeis, grus inimica, viris.

De amygdalo in Pannonia nata. XXVIII.

Quod nec in Hesperidum vidit Tirynthius hortis,
Nec Phaeaca, Ithacae dux, apud Alcinoum,
Quod fortunatis esset mirabile in arvis,
Nedum in Pannoniae frigidiore solo;
5. Audax per gelidos en! floret amygdala menses,
Tristior et veris germina fundit hyems.
Progne, Phylli tibi, fuit expectanda; vel omnes
Odisti jam post Demophoonta moras?

De prodigio, cladem summo pontifici significante. XXIX.

Quem meus aligera venator cuspide cervum
Perculerat, ravi diripuere lupi.
Omine perturbor, ne forsitan improbus hostis,
Petre, tibi sacras depopuletur oves.

5. Astra

Vulg. v. 4. opes.

Aſtra minantur idem; ſed tu ſanctiſſime mundi
Ianitor, in melius, triſtia monſtra, refer.
Summa tibi terrae, coeli eſt tibi ſumma poteſtas,
Solvere ſive aliquid, ſive ligare velis.
Quodſi non aptas, haec ad tutamina claves
Cauſaris, gladium te prope Paulus habet.
Armato manda collegae praelia inermis,
Ille tuum ſtricto proteget enſe gregem.

Vulg. v. 6. in medium.

De Phryne, a qua Thebae reſtitutae fuerunt. E Graeco. XXX.

Quas ut Agenorides fundarat Apolline Cadmus,
Amphion dulci carmine munierat;
Reſtituit ſtratas, Phryne meretricula, Thebas,
Dum petitur multis, candida forma, procis.
Riſit Vitiſator; contra at Tirynthius heros;
Nunc, inquit, vere moenia noſtra jacent.

Vulg. v. 1. *et* pro *ut*. v. 2. dulci et

De eadem Phryne. XXXI.

Everſas reparat dum Thebas aurea Phryne,
  Femina tam multis, una petita, viris,
Sacra Amphioniae fidis olim plectra ſecuti,
  Nudatis montes erubuere jugis.
Illa levi riſu, Neſcitiſne, improba, dixit,
  Saxa, quid hac habeat juris in urbe Venus?
Iam vos cum tenerae doceant ita currere chordae,
  Quale nefas homines, ſi mea forma trahit?

Laudat Nicolaum Perottum. XXXII.

Mittere laurigero tentabam noſtra Perotto
  Carmina, cum domino ſic ait ipſe liber:
Inſpice quid facias, doctisſimus ille novorum
  Dicitur, et priſcis non minor esſe viris.
Acria formido ſubtilis acumina limae,
  Neve notet nugas, ſtella veruve, meas.

Quodsi contingat tanto me vate probari,
Tunc ego vel Metio, Quintiliove legar.

In Vallam. XXXIII.

Ipse Deas ausus reprehendere Valla Camenas,
Iudicium fertur pertimuisse suum.

De Graeco. XXXIV.

Nec Pelopis regnum, nec sit mihi divitis auri
Copia, neve leves antevolem Zephyros;
Hic te complexus moduler sed rupe sub alta,
Inter oves, Siculum prospiciens pelagus.

Vulg. v. 1. Ne.--- ne.

Ad Galeottum Narniensem. XXXV.

Haec tibi Pannonicis, epigrammata mittit, ab oris,
Inter Hyperboreas, maximus Ister, aquas.

Nec

Nec te mirari nimium, Galeotte, decebit,
Eſſe videbuntur vix mea, ſi qua tibi.
Scilicet ingenio multum locus addit et aufert,
Inter et eſt ſub quo ſidere carmen eat.
In Latiis, ſcripſi fortaſſe Latinius, oris,
At nunc barbarico, barbara, in orbe crepo.
Hic Maro ponatur; fiet lyra rauca Maronis,
Huc Cicero veniat, mutus erit Cicero.
Tu tamen haec tali poteris deducere lima,
Vel critici ut medio nata Helicone putent.

Vulg. v. 7. Ut Latiis. v. 8. Sic nunc. v. 12. lata.

Comparatio Marcellorum, Veneti et Romani. XXXVI.

Si Marcellorum componas facta duorum,
Romani Venetus, vincet avi acta nepos.
Tranſeo quam praeſtet ſervatam Brixia Nolam,
Quantum ſeptenas, perpetuae, trabeas;

Nun-

Vulg. v. 4. Perpetuo.

Nunquam illi viſas, toties hic contudit Alpes,
Vecta illi caeſis, nulla carina, jugis.
Illum unus Sicula, ſuperatum depulit unda,
Parvus adhuc toto luſerat iſte mari.
Ille Syracuſas trinis vix cepit in annis,
Verona huic trinos ante recepta dies.
Ille egit vetitos Albano in monte triumphos,
Poſſe ſua hic nunquam plus voluit patria.
Alter Virdumari tulit, alter opima Philippi,
Si palmam pendas hoſte, prior Venetus.
Hic urbem obſedit Ligurum, Romam ille potentem,
Vallari Libycis pertulit agminibus.
Primo illi Poenus ceſſit, Picininus at iſti,
Sed victi inſidiis concidit ille tamen.
Deſine Marcellum veterem conferre novello,
Omnes Scipiadas hic premit et Fabios.

Vulg. v. 13. Virromari. v. 14. expendas. v. 19. veterum. v. 20. vincit hic.

Su-

Suum opus modeste laudat. XXXVII.

Non est hic, studiosa turba, non est
Festivissimus ille Martialis.
Verum simia Martialis haec est,
Cui tu, non quoties sacro poëtae,
Sed duntaxat ea vacabis hora,
Qua cum simiola voles jocari.

Librum suum alloquitur. XXXVIII.

Argiletanas non tu mea charta tabernas,
Non alte excussi ludibria alta fagi,
Nec subsannantûm sorbentes aëra ronchos,
Nec naso armatum rhinocerota time.
Non tura aut scombros, non cordylas vel olivas,
Nec blattae morsus, aut inopis tineae.

Docto-

v. 2. in voce: *alta*, ulcus latere videtur.

Doctorum iste timor, timuit tuus ista magister
Lividulos homines, tu mea charta, time.

Vulg. v. 8. Sed *pravos;* pro quo in MSto: *lividos*, erat.

In Gryllum. XXXIX.

Merdas, Grylle, tuas, meo libello
Te detergere velle comminaris.
Tergas, Grylle, licet; modo cruentas.

In eundem. XL.

Grylle, caca in nostrum, non deprecor improbe, librum,
Dum tantum mixto sangvine, Grylle, caces.

Ad Matthiam regem. XLI.

Hic me rogare tua modo est humanitas
Dignata, summe Principum;

Quid

Vulg. v. 1. Sic me.

Quid tibi meorum, vis, poëta, impertiam?
Secreta praeter quidlibet.

Vulg. v. 4. quodlibet.

Ad Rufum. XLII.

Cum domus arsisset penitus tibi, decidit imber,
Agnoscis liquido, jam puto, Rufe, Deos.

Ad Galeottum. XLIII.

Qui pueros elementa doces, rutilare capillum
Si doceas, facias plus, Galeotte, lucri.

v. 2. in MSto erat: facies.

Ad eundem. XLIV.

Unde tibi, ut, nuper quod erat pice nigrius atra,
Tam subito rutilum fit, Galeotte, caput?
Non magis intonsi, radiat coma torta, Sicambri,

Nec

Nec si quam Crathis perluit aut Sybaris.
Quae, precor, ars istud, vel quae fortuna peregit?
An potius Divûm nobile munus habes?
Hoc mirum, posset mutatis addere formis,
In nova discrevit qui rude membra chaos.
Ipse ego te primo dubitavi agnoscere visu,
Mox fictum dixi ferre capillitium.
Iam tango, vix credo tamen; Cura irrita multis,
Canitiem tincto dissimulare pilo.
Hic nihil est fuci, sed de radicibus imis
Pullulat, et penitus nascitur iste color.
Ergo ut vera tibi est, ita sit longaeva juventus,
Nec decus hoc senio laeserit ulla dies.
Quae fieri e pulla potuit sic flava, meretur
Ut fiat nunquam candida caesaries.

Vulg. v. 8. discernit.

In arrogantem. XLV.

Tu, qui tanta ſapis, dic unde ciconia roſtrum
Sic quatiat, quamvis algeat illa nihil?

Ad Matthiam regem. XLVI.

Iure colis Venerem mediis, rex inclyte, caſtris,
Illa tibi Martem conciliare poteſt.

Vulg. v. 1. dux inclyte.

Ad Conradam. XLVII.

Quod te Conradam Germania terra vocavit,
A conradendo nominis iſtud habes.

In Cincilum furacem. XLVIII.

Plurima quando rapis, te convaſare facetus
Dicis, et hoc riſu ſordida furta premis.

Con-

Convasatorem nos te invasabimus ergo,

Videris, an laedat poena jocosa minus.

Vulg. v. 4. pro, *minus*, nimis.

Ad Tribrachum poëtam. XLIX.

Tribrache, candentes (si nos ea cura teneret,)

De rubris, gemmas erueremus, aquis.

Gentibus ex Arabum varios peteremus odores,

Vellera Ser nobis mitteret, Indus ebur.

Nunc animum capiant cum tantum carmina nostrum,

Non nisi ab Oenotriis poscimus illa plagis.

Vobis ingenium, vobis dedit ore rotundo

Musa loqui; externi barbara turba sumus.

Nec Geticum, Pallas colit aut Cyllenius, Histrum,

Sed Phaëthontei, brachia amoena Padi.

Istrum concreto vectantem praelia dorso,

Mars colit, et Martis sangvinolenta soror.

At frustra mendico procul, quîs solus abundo,

Sci-

Vulg. v. 13. queis.

Scilicet Aufonia clarus et ipfe lyra.
Dicunt paftores; fed non ego credulus illis;
Inter nam cygnos anferis ore crepo.
Quodfi non etiam prorfus triviale fonarem,
Haud ideo legerem, Tribrache, veftra minus.
Ipfe Maro asfidue Varium Flaccumque terebat;
Non bene fe novit, cui fua fola placent.

v. 18. *veftra Tribrache*, eft in MSto.

Ad Rubertum. L.

Succenfes quia te, Ruberte, bardum
Dixi; cum potius referre grates
Deberes mihi; quippe fic poëtas
Gallorum, veteres vocant, tuorum.
Quid tu, quid faceres, Ruberte, quaefo,
Si te vel fatuum, vel imperitum,
Verbo fimpliciore nominasfem?
Quantum nunc tibi bilis et veneni
Inflaret mifero gulam tumentem?

Quis fulmen caperet tui furoris?
Quod praeconia nostra si malignus,
In probris tibi computare perges,
Iam te bardum aliter, Ruberte, dicam.

Vulg v. 10. raperet.

De translatione Ioannis Episcopi Varadiensis in Ecclesiam Strigoniensem. LI.

Pangite laurigerae, laetum Paeana, sorores,
Festius et solito, Calliopea sonet.
Metropolitanae supremum sedis honorem,
Dat Princeps domino, dat pia Roma, meo.
Haec vox per populos immensi transeat orbis,
Vox haec a terris sidera summa petat.
Cedat Strigonio Varadinum, Chrysius Histro,
Sit patrum primus, qui modo quartus erat.

De Paulo summo pontifice. LII.

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras,
Filia quem similis sat docet esse marem.

Vulg. v. 1. ne testes. v. 2. te docet.

De eodem. LIII.

Sanctum non possum, patrem te dicere possum,
Cum video natam, Paule Secunde, tuam.

Ad eundem. LIV.

Cum sit filia, Paule, sit tibi aurum,
Quantum pontifices habere raros
Vidit Roma prius; pater vocari
Sanctus non potes, at potes beatus.

Quaestio ardua et difficilis. LV.

Cur penem cunnus, cur contra mentula cunnum
Appetat, haec, vulgo judice, causa facit:

Cum primos homines, uda ex tellure, Prometheus
Confinxit, geminum non variavit opus.
Membra nec appofuit duplicem dirimentia fexum,
Unde novum posfet, fe reparare genus.
Mox cum non aliter naturae jura manerent,
Difcrevit propriis, corpora bina, notis.
Quippe puellari raptam de pectine carnem,
Alterius mediis fixit in ingvinibus.
Inde fuam partem femper locus ille requirit,
Inde fuum femper pars petit illa locum.

Vulgo Diftichon primum deeft.

De Guarino. LVI.

Quantum Roma fuo debet reparata Camillo,
Tantum Guarino, lingva Latina, fuo.

De rebellione regni Transfilvani. LVII.

Caftrorum feptem crudelis et impia tellus,
Quid dominum contra, perfida colla levas?

Obli-

Oblita es famulam, ſaltem te agnoſce parentem.
Hic tibi, ni Princeps esſet, alumnus erat.
Divitiisne tumes? cecidit Campania dives.
An populo? Marathon millia quanta premit?
Sed tibi forte animos perjurus proditor auget,
Asſpice quam ſtultum, ſtulta, ſequare ducem!
Sit licet ille ferox, et ſit bellare peritus,
Sit licet ille potens; improba cauſa ſua eſt.
Vincitur ut cauſa, pariter vincetur et armis,
Bella placent juſto, non niſi juſta, Deo.

* *Quare nunc, ut quondam, ſummorum pontificum teſticuli non explorantur.* LVIII.

Femina, Petre, tua quondam auſa ſedere cathedra,
Orbi terrarum jura verenda dedit.
Indeprenſa quidem cunctos latuisſet in annos,
Facta foret partu, ni manifeſta, novo.
Poſt haec Roma diu ſimili ſibi cavit ab aſtu,
Pontificum arcanos, quaerere ſveta, ſinus.

Nec poterat quisquam referantes aethera claves,
Non exploratis fumere tefticulis.
Cur igitur noftro, mos hic jam tempore cesfat?
Ante probat quod fe quilibet esfe marem.

Epitaphium Petri Zobii, militis praeftantisfimi. LIX.

Petrus in hoc Zobius tumulo jacet alter Achilles,
Ifte Bohemorum terror, at ille Phrygum.
Morte tamen prior hic; Paridis cadit ille fagitta,
Hunc balifta, modo fulminis acta, rapit.

Vulg. v. 3. Mente.

De Mesfio. LX.

Cum fpoliare parat dejectum Mesfius hoftem,
Quod faciat lucri confpicit esfe nihil.
Percitus ergo ira, fupra caput enfe levato,
Hoc, inquit, folum, quod rapiamus, habes.

Laus

Laus Pannoniae. LXI.

Quod legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,
Nunc e Pannonia carmina missa legit.
Magna quidem nobis haec gloria; sed tibi major,
Nobilis ingenio, patria facta, meo.

De Frando naufrago. LXII.

Naufragus Eridani dum Frandus mergitur undis,
Siccine me miserum fata necatis? ait.
Si fueram liquida periturus morte, perissem
Per latices potius, dulcis Iacche, tuos.

Vulg. v. 4. In latices.

Ad Guarinum Veronensem. LXIII.

Cur, Guarine, tuos, indulgentissime patrum,
Non cohibes natos turpibus a vitiis?
An nescis pridem quid fecerit unus eorum?
Fecit ut ancillae sis socer ipse tuae.

Ut vernae fis fecit avus; jam fabula tota
Urbe volas, et adhuc te tua probra latent.
Cur, inquam, Guarine, tuos, mollisfime patrum,
Non cohibes natos turpibus a vitiis?
Talia in ancillas nam fi illis faepe licebunt,
In natas, aliis crede licere, tuas.

Vulg. v. 5. Ut verus fis.

Ad Galeottum. LXIV.

Cum nec amicitia nobis fit junctior ullus,
Nec Permesfiacis tam madefactus aquis,
Carmina Marcelli patrios folantia luctus,
Iudicio mifi difcutienda tuo.
Non ego nunc abs te plaufus expecto crepantes,
Nec vanum clames ut, Galeotte, σοφῶς.
Ifta dabit vulgus, vel garrula turba clientum,
Tu fac, Quintilio me recitasfe putem.

Ad eundem. LXV.

Eſſe quid hoc dicam? rediit, Galeotte, libellus,
Pagina ſed nullas, rettulit alba notas.
Aſt ego Ariſtarchi ſtellas et acuta verebar
Spicula, Maeonium quis jugulatur opus.
Quid faciam, niſi uti placuiſſe vel omnia credam,
Omnia vel prorſus diſplicuiſſe tibi?
Omnia qui poſſunt placuiſſe? relinquitur ergo,
Omnia judicio diſplicuiſſe tuo.
Eſt quiddam ulterius; facturas taedia nugas,
Ne legiſſe quidem, te, Galeotte, puto.

Ad Paulum. LXVI.

Carmina quae nobis, Paule, emendanda dediſti,
Signata haud ullis quod rediere notis,
Ne fruſtra exultes; neu te ſpes irrita ludat,
Nil opus eſt ſignis, pars ubi nulla placet.

Ad Laurum. LXVII.

Mortem, Laure, times? frustra mors, Laure, timetur,
Sive Platon verum, sive Epicurus ait.

Ad Gallum. LXVIII.

Galle, rogas quae sit perfectae regula vitae?
Ne facias, nolis quod fieri ipse tibi.

Ad Galeottum. LXIX.

Quaeris, amem quam te? breviter, Galeotte, docebo:
Ante mori, quamvis junior, opto tibi.

Ad Gallum. LXX.

Praestiteram decimis, numos tibi mille, Calendis,
Exigo, tu juras prorsus habere nihil.
Quid nostra? jam redde datum. qui mutua sumsit,
Is debet, non qui solvere, Galle, potest.

Ad

Ad Agapetum. LXXI.

Mitte tuos tandem nobis, Agapete, libellos,
Mitte inquam, cenfor non ero, lector ero.

Ad Clementem. LXXII.

Tempus, ais Clemens, edi mea carmina; Nunquid
Iam nonus, poftquam fcripfimus, annus adeft?

Ad Guarinum. LXXIII.

Commendas et amas, Guarine, noftrum,
Quem de te tibi mifimus libellum.
Sed laudes et ames librum licebit,
Malles verficulis parem monetam.

Ad Rufum. LXXIV.

Tot tibi funt oculi, quot habebant Gorgones omnes,
Egerunt tecum quam bene, Rufe, Dei!

So-

Solus habes, quod tres; effoſſo ſed tamen uno,
Sit, precor, incolumis, cetera turba tibi.

Ad Severum. LXXV.

Miſiſti mihi, tot, Severe, turdos,
Iani ſcilicet ad novas Calendas,
Quot poſt primam habuit miſella tuſſim
Dentes Aelia; quot Ligia crines,
Unum ſi tamen auferas et illis.
Tot grates igitur tibi remitto,
Quot ſtellans oculos habebat Argus,
Quot centumgemini manus Gigantes,
Quae ſi forte ſatis, Severe, non ſunt,
Sint, naſos quot habet meus Philemon.

Vulg. v. 4. Aegia - Legria.

Quando primum Romae Muſis ſit honor habitus. LXXVI.

Cum ſola antiqui tractarent bella Quirites,
Aonidum ſtudiis non erat ullus honos.

Nec nisi quas nuper contexerat aerea cassis,
Postmodo cingebant laurea serta comas.
Mox ubi paullatim fratris surrepsit in urbem
Delius, et fluxit Castalis in Tiberim;
Dulcisona invictam vicerunt carmina gentem,
Nec lituo coepit vilior esse chelys.
Tunc et Liviacis applausit Roma cothurnis,
Festivos Plauti risit et illa sales.
At postquam magno, per somnia plenus, Homero
Ennius, Heroïs condidit arma modis;
Huic eques, huic mixta plaudebat plebe senatus,
Nec non belligeri, nomina clara, duces.
Sed sacrum in primis coleret cum Scipio vatem,
Vatis ut ipse sacri maxima cura fuit.
Praecipue Libycos, nam rettulit ille, triumphos,
Detractum et Latiis arcibus Hannibalem.
Nec minus Hispanas acies, et foedere iniquo
Contentum Tauri finibus Antiochum.

Ad

Vulg. v. 7. infractam. v. 15. coleres. v. 18. artubus.

Ad rectorem. LXXVII.

Accipe magnifici clarum Rectoris honorem,
Accipe purpureae, pallia rubra, togae.
Festa sit in fastis, et semper maxima, qua tu
Luce magistratum Gymnasiarchus inis.

Vulgo haec duo disticha in totidem epigrammata divisa leguntur. Sed vel sic desunt quaedam.

Se ipse commendat. LXXVIII.

Si mihi sit quisquam, quod erat tibi, Fulvius, Enni,
Aut qui perjurum contudit Hannibalem;
Bellator molli vel erat Messala Tibullo,
Quod Flacco Tuscis regibus ortus eques;
Huic ego sim contra, quod erat tibi maxime Caesar,
Qui silvas et agros dixit et arma virum.
Aut hoc si nequeam, Stilichoni quod fuit olim,
Qui cecinit raptus, Persephonea, tuos.

Si ſit et hoc nimium, ſaltem tamen hoc tibi fiam,
Quod fieri, hoc aevo vix duo treſve, queunt.

De Marcello Veneto. LXXIX.

Hoc mihi Marcellus, ſacri quod vatibus aevi,
Pollio, Maecenas, et Proculcius erant.
Hoc ego Marcello, quod Xerxi Choerilus olim,
Quod tibi neſcio quis, perſide Sylla, fuit.
Hoc modicum eſt, inquis; nihilo tamen esſe videtur
Majus, nam nihilo quid minus esſe poteſt?

v. 5. in MSto. est: inquit.

Ad Franciscum Aretinum. LXXX.

Franciſce, interpres legum, Aretine, ſacrarum,
Nec minus Aonia nobilis in cithara;
Iuſtitiae menſura tibi ſervatur in omnes,
In ſolo noſtri eſt nullus amore modus.

Nam

Vulg. v. 1. o Aretine,

5. Nam me plus multo laudas, miraris, honoras,

Quam mea quod virtus ingeniumve capit.

Quare tu plus, quam mereor, mihi, ne, rogo, praeftes,

At tibi dent faciles, quanta merere, Dei.

Vulg. v. 5. plus iufto.

De Epifcopo Mutinenfi. LXXXI.

Aonios nullo vates nunc esfe querebar

In pretio, et noftri temporis hoftis eram;

Cum mea refpexit Mutinenfis carmina praeful,

Coepit et ingenio mitis adesfe meo.

5. Sic inopem, nec adhuc notum tibi, Roma, Maronem,

Tyrrhenus, placida mente, refovit eques.

Pergite Pierides, veftris me inducere lucis,

Nunc mihi molle jugum, nunc mihi plana via eft.

Ad eundem Epifcopum. LXXXII.

Unde mihi hoc, quod me fic diligis optime praeful?

Nempe tua id folum de pietate venit.

Nil

Vulg. v. 1. iam diligis.

Nil ego promerui, tibi quippe alienus, et antehac
Ignotus; tu me vis tamen eſſe tuum.
Tu legis et laudas, tu carmina noſtra tueris,
Tu patrio externum ſolus amore foves.
Nec ſatis eſt quod me, ipſe pia complectere cura,
Ut veniam tota clarus in urbe, facis.
Nec dubitas ſacri mihi conciliare favorem
Principis, et per te, nos Leonellus amat.
Vir bonus eſt, meritis qui ſcilicet aequa rependit,
Omnia qui dat ubi nil merui, Deus eſt.

Vulg. v. 8. in orbe.

In Petrum. LXXXIII.

Tu, qui Fabricius foris es, ſed Apicius intus,
Parcius in nugas, quaeſo, vehare meas.
Qualia verba tibi, tales, Petre, ſunt mihi mores,
Quomodo tu vivis, ſic ego, Petre, loquor.

In crudelem Praetorem. LXXXIV.

Quis Sylla hoc ſanxit? dudum reus in cruce pendet,
Praetor nunc demum triſte tribunal adit!
Nunc demum miſeri cauſam cognoſcit inanem!
Quid prodeſt ſi jam pareat innocuus?
O Theta infandum! jura o praepoſtera dirae
Legis, et Arctoi, moribus apta poli!

Ad Gratianum. LXXXV.

Fregiſti mihi ſinciput miſellum,
Dum mecum male, Gratiane, ludis,
Ac fortis nimium cupis videri.
Nunc laeſum miſeraris, et cruentam
Plagam, tutemet alligare tentas,
Errorem petis et tibi remitti.
Sed triſtes remove procul medelas,
Non, caeſo veluti prius catello,

Col-

Collum poſtmodo mulceas et aures.
Tangi carnificis manu recuſo.
Non ſum Telephus, ut lever per hoſtem,
Nolo ſis mihi, Gratiane, Achilles.

In Gryllum. LXXXVI.

Nec bene, nec vere cum ſcribas, Grylle, vocari
Non bene, ſed vere pſeudopoëta potes.

Vulg. v. 2. Pſeudopropheta.

Ad Paulum. LXXXVII.

Litera prima tui ſi nominis asſpiretur,
Verum, Paule, tibi demum ita nomen erit.

Ad Philelſum. LXXXVIII.

Tu ſcribis Grajo, ſcribis ſermone Latino,
At tibi nos contra, barbara dicta damus.

Tempus erat cum me Musarum plectra tenebant,
Dulcis et Aonio potus ab amne liquor.
Nunc Marti miles, non Phoebo servio vates,
Obstrepit et molli, buccina rauca, lyrae.

De Arquada. LXXXIX.

Arquada Euganeos inter celeberrima pagos,
Quondam Antenorei quos tenuere Phryges;
Quamvis pulchra situ, quamvis sis ubere felix,
Nec tua morbiferum noverit aura canem;
Inde tamen longe major tibi gloria surgit,
Vatis Petrarchae sancta quod ossa foves.

---

v. 1. in MSto. Arcada. Vulg. v. 2. quas. v. 3. in MSto. *ferax* pro felix.

In Carbonem poëtam. XC.

Orator simul et poëta Carbo est,
Non est hoc aliud profecto, quam si

Post v. 1. nonnulla deesse videntur.

Mas et femina Carbo diceretur.

Sic plane Hermaphroditus ergo Carbo eſt.

Vulg. v. 4. plene.

Ad Carbonem poëtam. XCI.

Qui nunc es Carbo, nempe olim pruna fuiſti,

Pone animos, fies mox, Ludovice, cinis.

Ad Paulum. XCII.

Paule, ſuperjecta quae portem veſte, requiris?

Si te ſcire velim, non ea, Paule, tegam.

De naſo Harilli. XCIII.

In caput exiguo, crevit breve corpus, Othoni,

At caput in naſum crevit, Harille, tibi.

Vulg. v. 1. *bene* pro breve.

In Anellum. XCIV.

Donec, Anelle, tibi ſolus portabat aſellus
Flava volubilibus farra terenda molis,
Nunquam juſta domum miſero menſura redibat,
Aut erat externo ſemine mixta Ceres.
Hoc et Praetori longo narrare libello,
Vicino et memini te mihi ſaepe queri.
Sed nunc egregiam vafer inveniſſe videris,
Qua caveas poſthac talia damna, viam.
Nam cuſtos conjux, molitoris furta doloſi
Servat, et ad ſaccum pulverulenta ſedet.
O quam falſus homo es! cui credere granula centum
Non potes, uxorem credere, Anelle, potes?

Commendat Veronae ſuum libellum. XCV.

Commendo, Verona, tibi, quem noſtra libellum
Guarino luſit Calliopea tuo.

Ma-

Materiae debetur honos, si carmina temnis,
Quae sonat hunc, abs te pagina digna legi est.
Romulidis placuit, quamvis rudis Ennius esset,
Scipiadae magni dum fera bella canit.

In Graeciam. XCVI.

Improba deleta, gavisa est Graecia, Troja,
Postmodo sed dominos pertulit Aeneadas.

De Roma. XCVII.

Non secus e Phrygiis surrexit Roma ruinis,
Quam de relliquiis, ales Eoa, suis,
Sed Phoenice tamen melius jacet Ilia tellus,
Majorem cinis hic rettulit, ille parem.

Vide infra Epigramma ad numerum CLII.

* Veris prognosticon. XCVIII.

Texit ut e virgis arguta ciconia nidos,
Hibernum vel quae temperat aequor avis.

* Videntur quaedam deesse.

Ad Laurentium. XCIX.

Quod mea, Laurenti, placide munuscula sumis,
Quam si tu tribuas, plus, mihi crede, facis.
Donator det magna licet; majora rependit,
Qui devinciri se sinit officio.

De Pompejo Magno. E Graeco. C.

Magnus, magnorum modo maximus ille Quiritum,
Nuper habens aras, nunc caret et tumulo.

Ad Ludovicum. CI.

Mutua cum reddam, simul ipsum me, tibi dedam,
Asspice quam praestem plus, Ludovice, tibi.

De

De Pompejo Magno. E Graeco. CII.

Quod nuper Magni, quod erat ſimul orbis et urbis,
Obtulit ut ſocero perfida dextra, caput;
Ingemuit Caeſar; ſed nec Fortuna videndo
Laeta fuit, quamvis Caeſariana foret.

Vulg. v. 1. magnum.

* *De ſe ipſo. CIII.*

Qualiter o crucior! certe modo cunnus adesſet,
Posſem ter quinas continuare vices.

* *De amica ſua. CIV.*

Certe ego vel Proculo, ſi ſim futuentior ipſo,
Luxuriae posſim non ſatis esſe tuae.

* *De Laelia. CV.*

Laelia, quid noſtram, toties petis, improba, lingvam?
Si juvat, hoc totum, vipera, ſorbe caput.

Ad Laeliam. CVI.

Tam coëunt artis gemini complexibus angves,
Ut duplex uni quis putet esse caput.
Ast ego sic jungi cupio, mea Laelia, tecum,
Ut mihi diversum nec caput esse velim.

Vulg. v. 1. *ambo*, pro, angves. v. 2. quis reget e c.?

De se ipso. CVII.

Sextus hic et decimus vitae mihi degitur annus,
Narravit nato si modo vera, parens.
Septimus incipiet Septembres ante Calendas,
Si modo producant, tres mihi fila Deae.

Hoc epigr. aliter expressum videsis infra ad num. CCVIII.

* *De se ipso, cum virginitatem amisisset. CVIII.*

Virginitas valeas; hodie mihi forpice crinem
Tondeo, et abjectis, sumo togam, nucibus.

De

De Theodoro Gaza. CIX.

Nobile lingvarum decus, o Theodore, duarum,
Inclyta quem nobis Thesſalonica dedit.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Vulgo additur diſtichon inſulſum: *Vivito ſic longum ut Gazis paſcamur opimis, Inque unum redigas Hellada cum Latio.* quod abeſt a MSto, nec Iani Muſam ſapit.

In Nicolum. CX.

Tam doctus quare nil profert Nicolus unquam?
Iungere tam doctus nec duo verba poteſt.

Vulg. v. 1. Nicolaus.

De docto ſimulato. CXI.

Hic, qui nunquam orat, nil ſcribit; doctus habetur.
Sunt quibus immerito fama venire ſolet.

De Aurispa. CXII.

Tam doctus scribat cur nil Aurispa, requiris?
Credatur multo doctus ut esse magis.

De Guarino. CXIII.

Guarinum meritis parem Camillo,
Quis non censeat? Ambo reddiderunt,
Is regnum Latio, sed iste lingvam.

* *De Porcia.* CXIV.

Sic ait, ardentes haurit dum Porcia prunas;
Vos, venerande parens, care marite, sequor.

In Antonium hospitem. CXV.

Cum me minori Fors locarat in gradu,
Conviva, memini, non semel fui tuus.

Nec

Nec par fuiſſet denegare me pari.
Sed clericum tunc, non vocaſti Antiſtitem.
Nolo ſuperbum me putes, veni libens.
Papae! rotata cocta rapa teſtula,
Quam belle acernis afferuntur alveis!
Hanc ſibi parabat Curius ipſe coenulam.
Ergaſtulis hoc convenit convivium.
Quid hoc rubelli eſt? tolle funeſtam picem,
Lanae hoc laventur, aut equorum colei.
At jam ſecunda menſa, ſublatis adeſt
Fictilibus, uvae rancidae et ſici putres.
Quid hoc amabo? nilne ponis amplius?
Vale, ut mereris, hoſpes Antoni, vale!
Tam non putabam familiarem me tibi.

Vulg. v. 3. denegari. v. 4. vocas tunc non. v. 5. venio. v. 13. verancidae.

Ad Rufum. CXVI.

Scripta quod et ludunt et amant mea, Rufe, modeſtis
Illa placere negas? pluribus ergo placent.

Vulg. v. 1. laudant.

* In Bertum. CXVII.

Tollis femellas, occidis, Berte, puellos,
Ne durum tandem, proſpice, Abaddir edas.

v. 1. in MSto. eſt: Mollis. v. 2. ibid. Abbadir.

Ad Rullum. CXVIII.

Cum tibi mas paritur, laetus convivia ponis,
Femina ſi fuerit nata, perire jubes.
Rulle, puerperio tua jam Fauſtina propinquat,
Tempus et a medico poſcere mandragoras.
5. Lesbia jam pariter, pariter Lucina vocatur,
At tibi ſollicito pendula vota tremunt.

En!

En! parit, et vulva, primum caput exit, aperta;

Quicquid id eſt, vivat, forſitan Iphis erit.

Vulg. v. 8. *innat* pro, vivat. Ibid. Iphys.

De Urſo cinaedo. CXIX.

Nemo eſt Hetruſco juvenum laſcivior Urſo,

Poſſedit mollem, tanta libido virum.

Laſcivam aeſtiva nactus qui nocte puellam,

Nil putat eſſe, vices continuare novem.

5. Idem ſeptenos diſcidit ut ingvine culos,

Quae fecit maribus, ſuſtinet ipſe libens.

Ergo, vera licet nobis ſi dicere; non eſt,

Non eſt hic Urſus, Ruſe; quid ergo? lepus.

Vulg. v. 5. et 6. deſunt. In MSto. ſic eſt. ſeptenos diſcidit ingvine. Vulg. v. 7. licet verum.

* *In Leonem cinaedum.* CXX.

Nunc facit id quod vir, nunc id, quod femina debet,

Parte tamen patitur poſteriore, Leo.

Hunc

Hunc ego Tiresiam, vel Caenea dicere possum,

Ni melius dici posset, Hyaena, Leo.

In MSto. v. 4. legitur: posset Laeena Leo.

De signo Amphitryonis. CXXI.

Phoebus quadrijugo surgit cum lampade curru,

Bellantis signum hoc Amphitryonis erat.

Deesse quaedam huic epigr. videntur.

Ad Lectorem. CXXII.

Parco tibi, parco vobis jam candide Lector,

Finis adest; primum sit leve semper onus.

Misere corruptum est hoc epigramma.

In Prosperum. CXXIII.

Non bona me jactas epigrammata fingere, Prosper,

Verum est, confiteor; tu meliora facis.

Ad

Ad Rufum. CXXIV.

De brevitate mei miraris, Rufe, libelli;
Qui malus eſt, adeo quî brevis eſſe poteſt?

In Philiticum. CXXV.

Ne nimium tumeas, Philitice, novimus omnes,
Qua tibi ſit geminus nobilitate parens.
Altera nam cubito nares emungit, at alter
Non ſpuit in terram ſit niſi feſta dies.

v. 1. in MSto. Philitece. Vulg. v. 2. Quam.

Ad Gryllum. CXXVI.

Mordes, et patria, paſtum me dicis, ab urſa,
Tam durus videor, tam tibi, Grylle, ferox.
Pannonis urſa dedit lac nobis, Grylle, fatemur,
At non urſa tibi, ſed lupa, Grylle, dedit.

Ad Guarinum. CXXVII.

Perlegeres noſtrum cum forte, Guarine, libellum,
Dixiſti: (ut perhibent,) haec ego non doceo.
Non haec tu, venerande, doces, Guarine, fatemur,
Sed quibus haec fiunt, illa, Guarine, doces.

Vulg. v. 4. hoc fiunt.

In Blaſium pomilionem. CXXVIII.

Pomilio Blaſi, cum te mirantia ſpectant
Lumina, ſuccendit protinus ira jecur.
Eſſe pudet ſi te nanum, fuge ſolis ad ortus,
Inter Pygmaeos vel Polyphemus eris.
5. Illic ſublimis ſolio, veneratus, in alto,
Gentibus exiguis jura ſevera dabis.
Illic tota tuo pugnabunt agmina ductu,

Ad-

Vulg. v. 3. Ipſe -- vanum.

Advena cum pacis foedera rumpet avis.
Sed tibi terga tument putri deformia gibbo,
Surgit et e medio pectore turpe caput.
Amplius hoc, fateor, nos te ridemus, at illis
Majorem incutiet tam nova forma metum.
Unde tamen ſubiti, tanta inclementia, morbi?
An nihil eſt quod non improba fata petant?
Certe ſoſpes eras, certe conviva ſedebas
Nobiscum ad feſtas, nuper et ipſe, dapes.
Mortuus ecce jaces, nec adhuc te fabula vulgi,
Diſtulit in moeſto decubuiſſe toro.
Terra tibi reliquos quantumlibet ingravet artus,
Sit tantum gibbo, non oneroſa, tuo.

Vulgo v. 11 et 12. deſunt.

In Dionyſium. CXXIX.

Perpetuis totus, Dionyſi, ſordibus horres,
Hoc vera dignum relligione putas.

Nimirum porco non esſet ſanctior ullus,
Si faceret quenquam ſordida vita probum.

De immutatione ſui nominis. CXXX.

Ioannes fueram, Ianum quem pagina dicit,
Admonitum ne te, lector amice, neges.
Non ego per faſtum ſprevi tam nobile nomen,
Quo nullum toto clarius orbe ſonat.
Compulit invitum mutare vocabula, cum me
Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Ad Paulum. CXXXI.

Occurris quoties, toties me, Paule, ſalutas,
Ut reſaluteris ſcilicet, iſta facis.
Quindecies una, ſi fias obvius, hora,
Conſvetum repetis ſedulus officium.
Si quando in ſumma, ſcribo meditorve, feneſtra,
Clamatum e platea, ſemper avere jubes.
Sic vaga ſollicitae pereunt meditamina mentis,

Avo-

Avolat et cerebro, pulſa Thalia, meo.
Ni fallor digitis, hodie centeſima nobis
A te dicta modo eſt, et puto, quinta ſalus.
At nobis eſset vitam ſatis una per omnem,
Ut ſuperent Pylios, tempora noſtra, dies.
Dum queror, ecce iterum miſero fers, Paule, ſalutem,
O quam te longe, Paule, valere velim!
Parce, precor, tenero capiti, et crudelia differ
Taedia; ſic ſemper ſit tibi, Paule, ſalus.
Quodſi forte placet numero certare ſalutis,
More potes vulgi dicere, mille, ſemel.

Vulgo deſunt v. 6 et 7. qui nunc e MSto. reſtituuntur. v. 18. mille ſalus.

Ad Marcum. CXXXII.

Scriptum in te dicis tetraſtichon eſse; Negamus.
Nomine teſte probas; nomine teſte nego.
Marcus, ais, ego ſum. Vivunt hoc nomine multi.
An

Vulg. v. 3 plures.

An, rogo, tu phoenix esſe videre tibi?
Daunia quot mulos, Nonacria paſcit aſellos,
Tot pasſim Marcos degere, Marce, puta.

Ad Bartholomaeum. CXXXIII.

In te, nos, quereris feciſſe epigramma; fatemur.
Quae ratio eſt? inquis, nulla niſi libuit.
Sed delere jubes. Nemo eſt inſanior; et quem
Vidiſti natos tu jugulare ſuos?
Non aliter nobis fore te promittis amicum;
Nil eſt quod metuam, Bartholomaee, minus.
Abſcedens digitum mordes, et ſaeva minaris;
Quod ſcripſi, ſcripſi; quidlibet i facias.

Vulg. v. 3. ecquem. v. 4. *is*, pro, tu. v. 5. fore te nobis.

De Laurentio Valla. CXXXIV.

Secula tot cervus, tot vivit ſecula cornix;
Valla obit ante diem; quis putet esſe Deos?

Epi-

Epitaphium Thaddaeae. CXXXV.

Hic tumulata jacet magni Thaddaea Guarini,
Sero fecuturum laeta praeisfe virum.
Nullum fe tanto jactabit nomine marmor,
Artibus haec vicit Pallada, prole Rheam.

Vulg. v. 2. praeitque.

Epitaphium Guarini. CXXXVI.

Calliope, Clio, Polyhymnia, flete; Guarinus
Ecce jacet, veftri gloria, vefter honos.
Occiderit licet ille fenex, abfolvere nemo
Fata poteft, femper vivere dignus erat.

Epitaphium Valerii Marcelli. CXXXVII.

Improba ni tenerum, Valeri te, fata tulisfent,
Esfes Marcellae, fama fecunda, domus.

Te-

Vulg. v. 2. fecunda tuae.

Tecum ſpes Venetum, tecum ſolatia matris,
Tecum deliciae diſperiere patris.
5. Si probitas, ſi forma, Deos, ſi lingva moveret,
Neſtoris aetatem vivere dignus eras.
Mota erat his Clotho, Lacheſis non ipſa negabat,
Tertia, ſed rupit ſtamina, pulla ſoror.

Vulg. v. 5. moverent.

* *Ad Galeottum.* CXXXVIII.

Et poma, et crudas, ſumam ſecurior, uvas;
Qui medicum mittis, tu Galeotte, facis.

Ad eundem. CXXXIX.

Tu nunc in patria laetum me vivere credis,
Cum tamen in dubio, ſit mihi vita, loco.
Nunc fluidus laxa, procumbit ſangvis ab alvo,
Nunc ſaevit rapida tertia febre dies.
5. Si natalis humus nobis tam triſte parabat

Hoſpi-

Hospitium, melius, non rediisſe, fuit.

Quodſi te incolumem Superi, Galeotte, reſervant,

Dimidia videor parte valere mei.

Vulg. v. 7. Quod te ſi.

Ad Polycarpum. CXL.

Gratulor a terra, ſalvum rediisſe, Latina,
Numina nec votis, ſurda fuisſe, tuis.
Gratius hoc fiet, ſi nos, Polycarpe, reviſas,
Ni poſt tam longum, tam breve taedet iter.
Quando ego te tota ſuſpenſus luce tenebo,
Narrantem vaſtae, dura pericla, viae?
Quis ſtatus Auſoniae, quae ſint ibi tempora rerum,
Quas urbes, quales videris ipſe viros.
Quodſi non fallit cupidam, ſpes irrita, mentem;
Tota, tuo nobis pectore, Roma, venit.

v. 4. in MSto: pro taedet, erat; *redit.* Vulg. v. 5. videbo.

* *De Lucia.* CXLI.

Cum ſeſe nobis gxuxfoebn Mxdkb praebet,
Dum fero ſublatos, be nſb dpmmb qfeſt,
Terribilem foedo miſit de qpekdf cpncxn,
Qualiter aeſtiva fulmina nube crepant.
Territus avertor, digitis ſimul obſtruo naſum,
Xſob sſufoub cadit, cogit abire pudor.
Mxdkb, nulla tuo, contingent gaudia, dxoop,
Tam male moratus, ſi tibi dxmxt erit.

Ad Antonium. CXLII.

Vitrea quae nuper mittebas pocula nobis,
Antoni, media, rupta fuere, via.
Nos tamen haud alias agimus, cariſſime, grates,
Integra quam nobis ſi tua dona forent.
Peccat, ab eventu mentem qui penſat amici,
Semper in officiis, eſt voluiſſe, ſatis.

Ad eundem. CXLIII.

Perfusam rutilo, pateram tibi mittimus, auro,
Asfpice quam praeftent munera noftra, tuis!
Ex hac materia, vellem tua vafa fuisfent,
Fracta licet quererer, non tamen abnuerem.
5. At tu non ullis, obnoxia dona, ruinis,
Exemplo, Antoni, mittere difce, meo.

Vulg. v. 5. Sic tu.

Cur aetatem exuant ferpentes, cum fenio intereant homines. Ex Nicandro. CXLIV.

Ab Iove perpetuam, mortalis turba, juventam
Cum peteret, vanas audiit ille preces.
Impofitum tardo, referebat munus, afello,
Ad liquidas, fitiens flexit afellus, aquas.
5. Non, ait, inde bibes, fervator gurgitis hydrus,
Quae portas dorfo, ni mihi dona dabis.

In-

Iumentum imprudens, lymphis heu! vilibus illud
Nobilius sacro nectare, vendit onus.
Ex illo, posita juvenescunt pelle colubri,
Conficit humanum, dura senecta, genus.

Vulg. v. 7 Iuventam.

In Philippum. CXLV.

Esse meum, mihi te, dicebas saepe Philippum.
At tu, jam video, Pseudophilippus eras.

Ad Linum. CXLVI.

Posse domi fieri sapientem te, Line, credis,
Unum cuncta aetas Μητροδίδακτον habet.

Vulg. v. 2. Mitrodidacton.

De Silvia. CXLVII.

Ex te concipio, meretrix mihi, Silvia, dicis,
Silvia, non magis hoc dicere, crede, potes;

Quam

Quam si per spinas incedens, Silvia, densas,
Dixeris: ista meum, laesit iniqua, pedem.

Vulg. v. 3. Quod si.

Ad Prosperum. CXLVIII.

Quod rudis, ingenio talem me, terra creavit,
Miraris Tusci, Prosper alumne, poli.
Possunt et stulti sub utrolibet aëre nasci,
Possunt et quorum fervida corda micant.
Democriti pectus pecorosa Abdera tulerunt,
Crassa dedit tenuem Mantua Vergilium.
Tu tamen exemplis, dubitas si credere priscis,
Nos ambo, quales simus, et unde, vide.

Vulg. v. 2. *soli* pro, poli.

De

* *De Xerxe et Tito. E Graeco, Anthol. L. I. cap. 5. CXLIX.*

Duxerat et Xerxes Medos in Achaïda terram,
Duxit et Aufonidum belliger arma Titus;
Ille fed Inachidas misfurus fub juga, venit;
Hic tibi demturus, Graecia, trifte jugum.

In MSto. eft v. 1. Achaeida. Ibid. v. 3. in Achidas.

De Troja everfa et Roma imperante. E Graeco Anth. L. I. cap. 70. CL.

Cum gravis Herceas, Priamus procumbit, ad aras,
Summus, ait Lachefis, fit cruor ifte Phrygum.
Nam procul, Aufonios portus, Aeneïa clasfis
Iam fubit, aeternae principium patriae.
Quam bene, Troja, jaces, de cujus tanta ruinis
Urbs oritur, mundi quae tenet imperium.

De

De Achille. E Graeco, Anth. L. I. cap. 70. CLI.

Rector bellipotens, sub terris sicubi sentis,
Salve, et pro patria, quaeso, resurge parum;
Civibus innumeris en! Pergama sacra coluntur,
Haud tibimet paribus, sed tamen egregiis,
5. Thessalia at nulla est; accede, et dicito Achilli,
Legibus Aeneadum Thessala regna premi.

Vulg. v. 5. Thessalia ah. Ibid. *ac*, pro, et.

Comparatio Trojae et phoenicis exusti. CLII.

Non secus e Phrygiis surrexit Roma ruinis,
Morte sua Phoebi quam reparatur avis.
Nam simul ac fessam solvit longaeva senectus,
Rursum e relliquiis, nascitur illa, suis.
5. Sed phoenice tamen melius jacet Ilia tellus,
Majorem cinis hic reddidit, ille parem.

De

Hoc epig. paullo aliter vide supra numero XCVII.

De superbia Xerxis. E Graeco. CLIII.

Per freta dum pedibus, per summa cacumina remis
Eoum Xerxes improbus agmen agit;
Confusas rerum leges Natura gemebat,
Cum dedit hos sacro Iupiter ore sonos:
Pone metus, aliter quam nunc venit, iste redibit,
Pensabit Salamis dedecus omne tuum.

De naso Cyri et Grylli. CLIV.

Cyrus erat Persis naso gratissimus unco;
Invisus tota est Gryllus in Ausonia.

Verba Andromedae, pugnante adversus cetum Perseo. CLV.

Me miseram! quae triste manet fortuna duellum?
Cur mea nunc gravius quam modo corda pavent?
Haerebam duris, fateor, minus anxia saxis,

Pro-

Vulg. v. 3. nimis.

Propugnator adhuc cum mihi nullus erat.
Ipſis cum vinclis utinam fera monſtra vorasſent,
Me prius, huc volucrem, quam tulit iſte, gradum!
Indefenſa quidem, ſed certe ſola perisſem,
Nec noſter cuiquam letifer esſet amor.
Nunc timeo pereat ne inſons, ſervare nocentem
Dum ſtudet, et pietas ſit ſibi cauſa necis.
Quid tibi nobiscum pulcherrime? non ego mater,
Non ego ſum conjux, non tua cara ſoror;
Ut tanto noſtram quaeras discrimine vitam,
Impulſus non vi, non prece, non pretio.
Vel forſan noſtrae movit te gratia formae.
Haud ego ſum tanti, nec genus omne meum.
Me fatis permitte meis, tu ſoſpes abito,
Quae fecet aërias eſt tibi penna vias.
Dum loquor e mediis ter ſe ardua ſuſtulit undis
Bellua, ter fuſo, contigit aſtra, ſalo.
Heu! quam vix diros fugit celer ales hiatus,

Quam

Vulg. v. 5. jam vinclis. v. 8. noſtri. v. 15. movit noſtrae te.

Quam paene occasus, occidit ante, meos.
Dii, si quos lingva, genitrix non laesit, iniqua,
Hoc vos jam solum, vivat ut ille, rogo.

In Gryllum. CLVI.

Cum tu, Grylle, sonas, reticent per tesqua cicadae,
Malo sonent illae, dummodo tu taceas.

Vulg. v. 1. per prata.

Ad numos. Ex Graeco, Anthol. L. I. c. 66. CLVII.

Palponum patres, curarum pignora, numi,
Vos habuisse, timor; non habuisse, dolor.

E Graeco. Anthol. L. I. cap. 13. CLVIII.

Nudus humum scandi, nudus terrae ima subibo,
Quid frustra affligor, nuda suprema videns?

Ad

Ad Marcellum. CLIX.

Quod fuit aſtuto pugnax Aetolus Vlixi,
Quod duro Telamon Amphitryoniadi;
Quod fuit inflexo mitis Patroclus Achilli,
Formoſo Niſus quod celer Euryalo;
Quod fuit e Thebis profugo Calydonius exul,
Pirithoo caſti quod pater Hippolyti,
Quod fuit Emathius domitori Hephaeſtio rerum,
Trux Epaminondae, quod Pelopida, ſuo,
Quod totidem Libyae victoribus unus et alter
Laelius; Auguſto quod gener ipſe fuit;
Hoc tu magnanimo, nunc es, Marcelle, Renato,
Felix, qui regum dignus amore venis.

Vulg. v. 10. quod fuit ipſe gener.

In Spem et Fortunam. E Graeco. Anthol. L. I. cap. 80. CLX.

Inveni portum, Spes et Fortuna valete,
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

De agna quae pavit lupum. E Graeco, Anth. L. I. cap. 30. CLXI.

Agna lupum pafco propriis invita mamillis,
Paftoris fatui fed jubet imperium.
Nutritus per me, rurfus, fcio, faeviet in me,
Vertere naturam, gratia nulla poteft.

E Graeco, Anthol. L. I. cap. 27. CLXII.

Tu, qui nocturnum tentas accendere lychnum,
Ne filicis venas quaerito, neve focos;
Cor tribuet noftrum lumen tibi; nam mea faevis
Flammavit facibus pectora durus amor.

Volg. v. 3. nam mihi faevis.

E Graeco, Anthol. L. I. cap. 27. CLXIII.

Nullus, Amor, Deus eft, hominum fed prava voluptas,
Praetendit vitio, Numinis arma, fuo.

De

Hoc epigr. vide aliter infra num. CLXXIII.

De Cupidine pharetrato. E Graeco, Anthol. L. I. cap. 27. CLXIV.

Ture pharetratum quidam formavit Amorem,
Hunc, quem faepe Deûm fentit et ipfe pater.
Vulcano objicitur tandem, qui debuit olim,
Non nifi flammarum tabe liquefieri.

Vulg. v. 1. Iure. v. 2. Nunc.

De Amore. E Graeco, Anthol. Lib. I. cap. 27. CLXV.

Ad fontes quidam tornatum erexit Amorem,
Dum putat has unda extingvere posfe faces.

Vulg. v. 1. formatum. v. 2. in MSto. legitur: undis. Unde forte legendum: *undis flingvere.*

De gratia. E Graeco, Anthol. L. I. cap. 30. CLXVI.

Gratia cum properat, fit dulcior; aft ubi tardat,
Tota perit, nec jam nomine digna fuo eft.

De Theatro Veronensi. CLXVII.

Est tibi prostibulum, quod erat, Verona, theatrum;
Assidue Floram nunc colit ille locus.

De arbore pomis gravata. CLXVIII.

Furca levat, quam poma gravant; sic saepe fuerunt
Praesidio externi, quis nocuere sui.

De Arte. CLXIX.

Ars juvit nervos; tunc perfectissima rebus
Summa venit, cum vis nititur ingenio.

Initio deesse aliquid videtur in hoc epigrammate.

* *Fragmentum epigrammatis alicujus.* CLXX.

Tu mihi per terras, nec non jurata per undas,
Laeva tibi pontum, dextra premebat humum.
* *.

Ve-

Venus ad Palladem. E Graeco, Anthol. L. I. cap. 38. CLXXI.

Tu quid me Venerem Iovis edita vertice virgo,
Laedis? et arripiens praemia noſtra tumes?
Eſto memor quod me, frondenti nuper in Ida,
Non te, formoſam cenſuit ipſe Paris.
Haſta tua eſt et parma; meum, Tritonia, malum,
Sunt iſti malo priſtina bella ſatis.

Ptolemaeus. E Graeco. Anthol. L. I. cap. 46. CLXXII.

Novi ego mortalem, nec me eſſe ignoro diurnum,
At cum ſidereas, mente requiro vias,
Non jam tellurem pedibus contingo, ſed alma,
Cum Iove diſcumbens impleor ambroſia.

De Amore Deo. CLXXIII.

Pasſio, non Deus eſt amor; aſt humana libido,
Praetendit vitiis, nomen inane, ſuis.

Hoc epigr. vide aliter ſupra, num. CLXIII. Non videtur esse Iani, ob notionem vocabuli, *Paſſio*, vix hoc ſenſu Latinam.

Ad Gryllum. CLXXIV.

Grylle, Lycambeos, alias mittemus, Iämbos,
Imbelles elegi, nunc tibi munus, erunt,

Hoc epigr. vid. paullo aliter expresſum infra num. CXC.

Verba Trojae ad Palladem. E Graeco. Anthol. L. I. cap. 30. CLXXV.

Parce, precor, Pallas; colui nam ſemper honores,
Aureis in templis, Troja miſella, tuos.
At tu me vaſtas, et pomi unius ob iram,

De-

Decerpis triſti, moenia tota, manu.

Paſtor ut occideret fuerat ſatis; improbus, eſto,

Ille fuit, patriae non ea culpa tamen.

De Uva. CLXXVI.

Eſt ſimul et potat, qui dulci veſcitur uva,

Hoc tibi, ſed ſolo, cedit, Iäcche, Ceres.

De laudibus Guarini. CLXXVII.

Si mihi gemmato, propinet Iupiter, auro,

Dulcia Dardania, pocula mixta, manu;

Non ego divinos malim potare liquores,

Quam quod Guarini, nectar ab ore fluit.

Ad Leonellum Principem Ferrariae. CLXXVIII.

Obtulerit ſors ſi qua, meum tibi forte libellum,

Perpetua Eſtenſis, lux, Leonelle, domus;

Non illo hunc vultu relegas, quo jura miniſtras,

Sed quo ſaepe levem, pellis et ipſe pilam.

Ad eundem. CLXXIX.

Ludere, dive, tuos, feſtivo carmine, vates,
Ne, Leonelle, veta; ludis et ipſe pila.

Fragmentum Epigrammatis alicujus, ad Guarinum. CLXXX.

Dulce nec eloquium lingvae, quo Neſtora vincis,
Nec qua praecellis Nirea, forma decens,
* *

Ad Guarinum. CLXXXI.

Phoebum Graecia, gens Latina Faunum,
Hammonem Libye, Pharos Serapin,
Conſultum in dubiis, Guarine, adibant.
Te toto ſimul orbe confluentes
Accedunt populi, tua ut beata
Tingant arida corda disciplina.

De Ambrosio. CLXXXII.

Mentiris, Theodore, miser; sunt Numina coelo,
Nec vacat omnino regia celsa poli.
Nil sentis, Epicure; Dei mortalia curant;
Nec frustra in terras, fulmina torta cadunt.
Numina, clamemus: sunt et mortalia curant,
Pendentem postquam cernimus Ambrosium.

De Argyropylo philosopho. CLXXXIII.

Iure dedit clarum, tibi porta argentea, nomen;
Qui nitidum ad sophiam tam bene pandis iter.

Vulg v. 1. parta.

De morte amici. CLXXXIV.

O nunquam mihi mors odiosior! o mihi nunquam
Stamina Parcarum flebiliora trium!

Ad

Ad Leonellum Ferrariae Principem. CLXXXV.

Quod, Leonelle, tuam, Princeps, accesſimus urbem,
Arctoi gelido nuper ab axe poli;
Da veniam, non nos rerum inclyta fama tuarum,
Nec domus auguſtis ſplendida, traxit, avis;
Nec tua praefulgens vario Ferraria cultu,
Nec ſeptemgemini, brachia amoena Padi;
Non oculos, avidas huc paſcere venimus aures,
Quarum Guarini manat ab ore cibus.

Ad Petrum. CLXXXVI.

Quid tibi, Petre, meo, tulerim ſcitaris, ab Iſtro;
Quod pridem e Cypro, tu mihi, Petre, tua.

Populos non producere electrum. CLXXXVII.

Quid manifeſta adeo canitis mendacia vates?
Non placet id Phoebo; verum[1] amat ille Deus.

At

[1] Vulg. v. 1. Deo.

At vos hoc omnes uno velut ore ſonatis,
Populeum in ripis Eridani esſe nemus,
Unde fluant rutilo, ſimulata electra, metallo,
Migret et in gemmam, quae modo gutta fuit.
En Padus! Heliadum famoſa en ſilva ſororum!
Dicite, ſi pudor eſt, ſuccina veſtra ubi ſunt?

Vulg. v. 3. *hic.* pro, hoc. v. 7. en ana formoſa. in MSto. autem: en Ain, famoſa.

In Cresſam. CLXXXVIII.

Lacte tuum nutris caprino, Cresſa, puellum,
Numquid vis alium, tollere, Cresſa, Iovem?

Vulg. v. 1. tuam - puellam.

In Carolum. CLXXXIX.

Carole, me laudas, verum mea carmina culpas,
Praecipis et, ſaltem tectius illa loqui.

Pa-

Parebo monitis et flammea verfibus addam;

Infit vifceribus, menta pufilla, tuis.

Vide hoc epigr. paullo aliter ad numerum CCLII.

* In Gryllum. CXC.

Grylle, Lycambeos vacui mittemus Iāmbos,

Hoc breve fufficiat nunc epigramma tibi.

Vide hoc idem epigr. paullo aliter expreffum fupra num. CLXXIV

Ad Lupum. CXCI.

Vel metuunt vel amant, qui te, Lupe, non bene norunt;

Aft ego qui novi, nec metuo, nec amo.

* De vitae mutatione. CXCII.

Sat cuivis femel eft habitum mutare priorem;

Felices! quibus id contigit in melius.

De

De quodam jactabundo. CXCIII.

Eſt quidam noſtri, qui ſe vocat archipoëtam,
Temporis; en titulum, Bartholomaee, novum!
Sed cum nunc fatui ſint mille, poëta nec unus,
Hos inter primum, ſe, reor, ille vocat.

Si Iani noſtri hoc eſt epigramma, necesſe eſt, alius hic archipoëta fuerit, quam Camillus quidam Quernus, qui plus L. annis poſt Pannonium vixit.

De ſe ipſo. CXCIV.

Confiteor, veteres, ingentia nomina, vates,
Veſtra prius mihi ſors invidioſa fuit,
Quod vos et rerum delectu, et voce diſerta
Praeſtantes, nemo posſet adire novus.
5. At nunc ex aequo diviſa eſt gloria nobis;
Vinco materia, vincitis eloquio.

Ad

Vulgo v. 6. Unica materia eſt.

Ad Perinum. CXCV.

De te, nos (tamen innocente) dicis,
Incasſum mala multa ſuſpicari.
Recte id forte putas, Perine, verum
Culpa non vocat ille, qui meretur
5. (Inſons ſit licet) esſe ſons putari.

Vulg. v. 5. ſis -- putaris.

In inconſtantem. CXCVI.

Fortunae non hac tantum ratione videris
Filius, asſidue quod ſavet illa tibi;
Sed quod propoſito, nec tu perſiſtis, in uno,
Evehis et pravos, pellis ad ima probos.
5. Quid precer ergo tibi? niſi quod tua, pesſime, mater,
In te etiam ſolitis moribus esſe velit.

De

Vulg. v. 5. precor.

De ave, quae, capite licet abſciſſo, adhuc volabat. CXCVII.

Quis credat? bifido ſagitta ferro
Currenti caput abſcidit volucri,
Deſiit currere non tamen volucris,
Dum deeſſet caput. Unde vis peremtae
Cum ſic curreret, unde mors eunti?
An pars mortua, pars erat ſuperſtes?
Nec, quamvis poſito procul cerebro,
Cor disperdiderat ſuum vigorem?
An caſus levis hoc repente luſit,
Dum vivae tenor ille motionis
Nec jam frigida membra derelinquit?
An dum, mors ſubito vocata, tardat,
Lentus ſubſtitit, et morae vocantis
Momentum breve ſenſus occupavit?

An

Vulg. v. 4. peremti. v. 6. *aër*, pro, erat. v. 13. Ventus. Ibid. more.

An quoddam medium locare tempus,
Vitam inter licet, et necem ſupremam?
Quod neutrum magis altero putari,
Confuſis pariter queat duobus?
Ceu confinia noctium et dierum,
Nec lux, nec tenebrae ſolent vocari,
Sed mixtum et dubium tenere nomen.
Verum quae potius fuere cauſae,
Vos inquirite, quos fatigat ingens
Naturae labor, et profunda rerum,
Me facti fatis eſt venire teſtem.
At tu Graecia fabuloſa, profer,
Si quid tale tui tulere agones,
Quos Pytho, Nemee, Iſthmos, Elis egit.
Dic centum celebrata Roma ludis,
Viderunt tua ſi theatra quando,
Truncum vivere, mortuum moveri.

In

Vulg. v. 19. *ac* pro et. v. 21. *medium*, pro, dubium. v. 28. *Nemaes* pro Nemee. In MSto. erat: Nemeae.

In mendacem. CXCVIII.

Cum tua non ullus de te mendacia credat,
Mentiris soli, scilicet ipse, tibi.

Vulg. v. 2. Mentiri soli dedecet. cet. In MSto. Mentiris soli te decet.

* *In eundem.* CXCIX.

Te, non nos, fallis, cum nos ea credere credis,
Credere tute, alio quae referente, neges.
Desine mentiri, jam desine dicere, demens,
Quae vix crediderit morio Musicius.

v. 3. In MSto. erat: dicere dedecet.

In furem Virgilianum. CC.

Excusas sic te, cum quid furare Maroni,
Surripuit Chio, quod Maro multa, seni.
Excusatus eris, quin et laudabere vates,
Si modo surripias, ut Maro surripuit.

In eundem. CCI.

Non te ex Virgilio, sed magno dicis Homero
Furari, furtum quando poëta facis.
Sed cum furaris jam praesurata Maroni,
Furari ex ipso, te puto, Virgilio.
At male cum vati, simul huic furaris et illi,
Quid, nisi jure malam, stulte, merere crucem?

In furem suorum carminum. CCII.

Quod, Valline, tui, tot habent mea carmina, libri,
Vis imitatorem, te rear esse, meum.
Totos saepe locos, verbum transcribis ad unum,
Materia est mecum saepius una tibi.
Non imitari hoc est, laus id, non culpa fuisset,
Hoc est pro scriptis, edere nostra, tuis.

Ad

Vulg. v. 2. reor.

Ad Liberam. CCIII.

Cum volo, tu non vis; cum nolo, Libera, tu vis;
Quando igitur fumes, Libera, quando dabis?

Ad amicam. CCIV.

Hei mihi! tam tarde congressi, tam cito quare
Digredimur? nec fas longius esse simul?
Hos ego complexus tunc vellem, vita, resolvi,
Quercubus implexae cum caderent hederae.
5. Haec ego tum cuperem disjungi basia, quando
Desereret concham, lubrica concha, suam.
Confertos utinam Veneris sic vincla catenent,
Haeret ut implicito cum cane nexa canis!

Vulg. v. 5. conjungi. v. 8. cum Iove nexa soror.

In Basinum. CCV.

Cum sis Basinus, cur esse Basinius optas?
Aptius ut fiat, litera prima cadat.

In Luciam. CCVI.

Immerito plane ſuccenſes, Lucia, nobis,
Prodita ſit tanquam res tua voce mea.
Prodita voce mea non eſt; Unde ergo loquuntur
Vicini? et tota rurſus in urbe ſonat?
An, rogo, tu quenquam tam ſurdum exiſtere credis,
Qui non baliſtas audiat et tonitrus?

Vulg. v. 4. *rumor*, pro, rurſus.

* *In eandem.* CCVII.

Lucia, vis futui; faciam, ſed lege ſub illa,
Ut teneas culi, murmura foeda, tui.
Spondes; non equidem credo, niſi pignora ponas;
Sed nec ſic credit mentula noſtra tamen.

De ſua aetate. CCVIII.

Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,
Si verum nato rettulit ipſa parens.

Septimus incipiet, medio cum ardebit Olympo,
Menfis ab Augufti tertia fine dies.

Hoc epigr. aliter expresfum vide fis fupra ad numerum CVII.

Ad Marcellum. CCIX.

Non ego te idcirco vatem, Marcelle, negarim,
Vulgares numeros quod tua Mufa fonat.
Quid refert qua quis fcribat bona carmina lingva?
Laudamus mutam, fi bene cantat, avem.

Vulg. v. 2. canit. v. 3. fcribit. v. 4. cantet.

Ad Bartholomaeum. CCX.

Mutua da feptem; Superos et fidera teftor,
Semper debebo, Bartholomaee, tibi.

Ad eundem. CCXI.

Non idcirco fidem laefi, quod credita nondum
Perfolvi; laedam, fi data reddidero.

Nam

Vulg. v. 2. caedam. Ibid. reddideris.

Nam bene si memor es; semper debere, nec unquam
Reddere juravi Bartholomaee, tibi.

In excommunicatum. CCXII.

Interdicta tibi est hominum communio, et audet
Vadere nemo una, nemo comesse simul.
Ast ego, censurae quamvis id, Marce, juberent,
Nec conviva tibi, nec comes esse velim.

De Sigismundo Malatesta, tyranno Arimini. CCXIII.

Cum Malatestaeos, aetas ventura, triumphos,
Cum tot Sismundi splendida facta leges,
Nil nisi vana leges levium mendacia vatum,
Quorum sola fuit Calliopea fames.

De eodem. CCXIV.

Urbis Arimineae modicus Malatesta tyrannus,
Caesaribus summis major in orbe sonat.

Sic

Sic e formica, faciunt elephanta, poëtae,

Cogunt et muscas fulmina ferre Iovi.

De Sclavinia. CCXV.

Pars ea Pannoniae, quae nunc Sclavinia fertur,

Pagos complures, oppida rara gerit.

Vulg. v. 1. Sclavonia. v. 2. oppida nulla.

De fortuna aulicorum. CCXVI.

Qui modo summus erat, nunc tota est imus in aula,

Est hodie summus, qui fuit imus heri.

Tene juvat rebus, Fortuna, ita ludere nostris?

Regia vel potius ludere corda suis?

Vulg. v. 4 *finis*, pro, suis.

De Borsio Principe Ferrariae. CCXVII.

Qualis, ubi plena per noctem lampade fulsit,

Pallida, mox orto Cynthia fratre, latet;

Succedens patria, Leonello, talis, in aula,
Splendida germani Borsius acta premit.
Comprime plangores, cohibe, Ferraria, luctus,
Iure potes fatis parcere, jure Deis.
Quod rapuere tibi, cumulo en majore refundunt,
Ingenti pensant et tua damna lucro.
Felix, qui tanto rediit cum foenore, jactus;
Quae sic convaluit plaga, salubris erat.

Vulg. v. 3. prima Leonellus.

De Vincentino navigante. CCXVIII.

Vincentinus eques, tumidi rudis ante profundi,
Miratus Venetae, dum redit, urbis opes,
Post vomitus crebros, et versum paene cerebrum,
Post fractum, rigido robore, molle latus,
Contigit ut litus; Non me vehet amplius, inquit,
Ad culum quisquis frena caballus habet.

Ad Ornitum. CCXIX.

Habin cerva, canis Cyrum, lupa nutriit illos,
Quos gravida armifero Silvia Marte, dedit.
Par Dis cura tui fuit Ornite; nam tibi parvo,
Admovit mammas, sus lutulenta, suas.

Vulg. v. 1. Ibim. v. 3. Par Diis cura Orinthe tui, nam sic tibi parvo.

In Lupum fallacem. CCXX.

Fert aliud Leucon, aliud Leuconis asellus,
Dicere, si memini, Graecula turba solet.
Forsitan ista tuos, tangunt proverbia, mores,
Nam, Lupe, mens aliud, quam tibi lingva gerit.

In MSto. prius distichon etiam separatim legitur sub lemmate: *Graecum proverbium.*

Ad

* *Ad Anellum.* CCXXI.

Centum convivas, tam pauper, Anelle, vocasti,
Cum te non pascas, pascis, Anelle, canes.

Videtur esse depravatum hoc epigramma. In MSto. lemma erat: *Ad Anellum mortuum.*

In Priscam. CCXXII.

Quid tibi cum claudo, dicebam, Prisca, marito?
Optimus est claudus, Prisca, fututor, ait.

Vulg. v. 2. Prisca subactor ait.

De homine praepostero. CCXXIII.

Quem tenebris vigilare juvat, dormire diebus,
Cur non et versis vestibus ire juvat?

De intempestive comedente. CCXXIV.

Ante diem prandes, medio vix pronus Olympo,
Deflexit Titan; coena parata tibi est.

Quis

Quis ferat haec? Illud tamen indulgebimus omnes,
Exul ab octava si, Ludovice, bibas.

Ad Prosperum. CCXXV.

Qui centena tuo numeravit nomine nobis,
Attulit is nullum, Prosper, epistolium;
An veritus non es centum cui credere numos,
Es veritus totidem credere literulas?

* *In otacustas.* CCXXVI.

Inter tot mala, pessimi otacustae,
Hoc unum facitis bonum, siletur.

* *De eisdem.* CCXXVII.

Tanta est malorum copia otacustarum,
Ut ipse taceat Eustachi Ladislaus.

** De eisdem. CCXXVIII.*

Plus jam, Lazare, quam tacere oportet,
Nil dicas, licet; audit otacuſtes.

In Gaſparem. CCXXIX.

Cum duo mitto tibi, reddis mihi carmina centum,
Sic tanquam numero ſit ſuperare ſatis.
Sed nil, Gaſpar, agis, nam libro Perſius uno,
Quam longam Marſi vicit Amazoniden?

In ſuperflua quaeritantem. CCXXX.

Hoc unum ſemper quaeris; ſuperetne Maronem
Tullius? an major ſit Cicerone Maro?
Neſcio; verum illud belle ſcio, quod tibi nunquam
Eſt viſus, Procopi, nec Maro, nec Cicero.

Epi-

Epitaphium Alfonsi, regis Neapolitani. CCXXXI.

SI Iovis ossa jacent Dictaeo condita busto,
Alfonsi hic regis condita membra jacent.
Iupiter aethereas sin possidet integer arces,
Integer Alfonsus, sidera summa tenet.

Vulg. v. 1. dietaeo.

Epitaphium Papae Pii II. CCXXXII.

Cum totus petit astra Pius, de praesule tanto,
Indignata sibi est terra manere nihil;
Sed frustra conata animam retinere volucrem,
Hic cupido, pressit corpus inane, sinu.

Vulg. v. 3. frustra est.

Epitaphium Leonelli, Ferrariae Principis. CCXXXIII.

Principis hic artus Leonelli terra recepit,
Ast animam reducem lacteus orbis habet.

Huc

Huc illam pietas, huc virgo Aſtraea levavit,
Huc cum Pierio, docta Minerva, choro.
Quodſi dexteritas, nitidae ſi gratia formae,
Corporeum pariter tollere poſſet onus;
Qua ſolum nunc parte ſui tellure reſedit,
Hac etiam ſummo fulgeret ille polo.

Vulg. v. 7. recedit.

Artemiſia ad Mauſolum. CCXXXIV.

In coelum ſi te poteram, dulcisſime conjux,
Tollere; coeliferi pondus Atlantis eras.
Quod licuit, pelagi fluida nec merſus in unda,
Nec tegeris vili contumulatus humo;
Sed levat arte nova ſuſpenſum tertius aër,
Mortales ultra non valuere manus.

Vulg. v. 1. poteram ſi te.

In

In Vitum. CCXXXV.

Nomine te vitulum qui dixit, Vite, minuto,
Verius hic potuit dicere, Vite, bovem.

De Marſilio Ficino. CCXXXVI.

Nuper in Elyſiis animam dum quaero Platonis,
Marſilio hanc Samius dixit inesſe ſenex.

Suſpicio quaedam eſt, hoc Epigr. non esſe Iani ſed alius cujusquam.

Ariſtoteles Argyropylo. CCXXXVII.

Gratia magna tibi, de Grajo qui facis ut ſim
Italus; et facilis, qui modo durus eram.
Vix bene nota meis, olim mea dicta, Pelasgis,
Te duce nunc Latiis, en patuere, viris!
5. Quid, conſangvinei quod ſunt, interpres et auctor?
Posſidet et geminum, Graecia noſtra, decus?

Scripto-

Vulg. v. 5. quod iis.

Scriptores alios, ipsi vertere Quirites,
At me, gentili munere, Roma legit.

De amore suo in Ledam puellam. CCXXXVIII.

Flava Cupidineis, laesit me Leda, sagittis,
Nubere digna Deo; gignere digna Deos.
Haec mihi nescio quas continget capta per artes,
Nam servat clausas, Tyndarus ipse fores.
5. Si via nulla patet, nisi quam mens alta Tonantis
Commenta est; et me candida pluma tegat.

In Severum. CCXXXIX.

Scripsisti egregium, Severe, librum,
Quo contemnere gloriam docemur.
Quae si vile quid est putanda cunctis,
Ut credi cupis, et probare tentas;
5. Quare tu minio tuum rubenti,
Summo margine nomen adnotasti?

De

Vulg. v. 3. sit.

De ſuo libro. CCXL.

Ludimus ecce jocos, ades huc non tetrice Lector,
Tu procul hinc contra, tetrice Lector, abi.
Triſte ſupercilium cum ſit tibi, ne lege nugas,
Aut, ſi forte legis, pone ſupercilium.

Ad poëtam Martialem. CCXLI.

Te, vatum optime, culte Martialis,
Ludorum pater, et pater leporum,
Nugarum ſimul, et facetiarum,
Prae cujus ſale, Plautus ipſe verna eſt,
Qua posſum, ſequar in meis libellis.
Nec Phoebum libet, aut vocare Muſas,
Ut coeptis properent adesſe noſtris.
Unum te omnibus e Deis vocamus;
Tu tantum, licet aemulo poëtae,

Ne

Vulg. v. 9. a malo poëtae.

Ne quaeso invideas tuos favores;
Quin si vera senis silentiosi,
Est sententia, qui putavit unam,
Multos posse animam, volare in artus,
Si mixtus sacer Ennio est Homerus,
Postquam desierat superbus ales,
Pictam sideribus levare caudam;
Nostras labere totus in medullas,
Mentem certe ego si tuam merebor,
Iam nostrae dabo, crede, commeatum.

De Galeso. CCXLII.

Non credis nostro, cur, Praetor inique, Galeso?
Legitimos testes nonne Galesus habet?

Vulg. v. 1. pro, *inique*, quaeso.

* *Ad Telesphorum cinaedum.* CCXLIII.

Lis magna est nobis, formose Telesphore, tecum,
Non tamen illa foro, verum agitanda toro.

Quid

Quid frustra ambigimus? testes admitte, probabo.
Nec tibi magnus erit succubuisse dolor.

Ad Luciam. CCXLIV.

Quid nos, Lucia, temnis et repellis?
Nunquam displicuisse me puellae,
(Sic vivam et valeam,) recordor ulli.
Quodsi credere forsitan recusas,
Magnis testibus approbare possum.

De Ambrosio. CCXLV.

Non instrumento grandi, non testibus amplis,
In causa quicquam proficit Ambrosius.
Lis sibi cum Thecla est, sed quicquid pondere magno
Proferat Ambrosius, nil nisi, Thecla, negat.

Deridet euntes Romam ad Iubilaeum. CCXLVI.

Mille quadringentis, Hyperion aureus, annis,
Adjicit haec decimae tempora Olympiadis.
Natus ut aeterni, qui condidit omnia, patris,
Prodiit intacta virgine factus homo.
Nunc propius quaerenda salus, et ad aethera clarum,
Vilibus e terris maxima porta patet.
Iam Zephyri et Boreae gentes, Occasus et Arctos,
Omne quod hinc Tanais claudit, et inde Tagus,
Romam festinant, et confluit orbis in Urbem,
Nec capiunt ipsae, millia tanta, viae.
Nescio credulitas haec si sua proderit ipsis,
Hoc scio Pontifici proderit illa satis.

Vulg. v. 1. quadringentos - annos. v. 11. illis.

De

De eodem. CCXLVII.

Hispani, Galli, Sclavini, Teutones, Hunni,
Clavigeri, petitis limina ſancta, Petri.
Quo ruitis ſtulti, Latios ditare Telonas?
Salvari in patria ſiccine nemo poteſt?

Vulg. v. 1. Sclavi Teutones et Hunni. v. 3. *Penates*, pro, Telonas.

De eodem. CCXLVIII.

Iam fora cuncta viris, meritoria cuncta replentur,
Agmine tam denſo, barbara turba venit.
Ipſum, divitiis nullus non copo laceſſet,
Coſmum, ſi talis proximus annus erit.

Vulg. v. 1. meritorum. v. 2. Agmina. ibid. *ruit*, pro, venit. v. 3. cope.

De caupone qui anno Iubilaei ditatus. CCXLIX.

Paſtor veris opes, aeſtatis carpit arator,
Vinitor autumni; lenta quieſcit hyems.

 Nec

Nec niſi raro capit quicquam piſcator et auceps,

Coponis nullo tempore lucra vacant.

Vulg. v. 4 Cauponis.

De eodem. CCL.

Nec mercatori, nec nunc ego bella gerenti,

Nec nautae invideo, nec, Macer, agricolae,

Nec medico, nec cauſidico, nec, crede, poëtae,

Coponi multum ſed, Macer, invideo.

De eodem. CCLI.

Utere, copo, tuo, nunc utere, ſi ſapis, anno,

Quam longe diſtant altera luſtra decem!

De ſe ipſo. CCLII.

Laudas me nimium, priſcis et vatibus aequas,

Mentiris, novi; me tamen, Ode, juvat.

In

In Carolum. CCLIII.

Carole, memet amas, verum mea carmina damnas,
Hoc saltem velles, tectius ut loquerer.
Parebo monitis, et flammea versibus addam;
Insit visceribus menta pusilla tuis.

Vide hoc epigr. paullo aliter ad numerum CLXXXIX. Vulgo v. 4. deest.

* *Laudat carmina Titi Strozzae.* CCLIV.

Edita Stroccigenae jam vatis Erotica tota
Vulgus in urbe sonat, culte Tibulle, vale.

* *In Celsum.* CCLV.

Dico prudentem, dico te, Celse, disertum,
Omnia tu credis, mentiar ipse licet.

In Aulum. CCLVI.

Nil satis, Aule, tibi est, cupis omnia, et omnia captas,
Quid dignum factis, imprecer, Aule, tuis?

Aut tibi, quanta Midae fuerat, fit copia rerum,

Aut Erifichthonia discruciare fame.

Vulg. v. 4. difcruciere.

* In Carolum. CCLVII.

Aureolos abs te peterem cum forte novenos,

Utebar multis, Carole, blanditiis,

Nec dominum, nec te regem appellare verebar,

Tunc frugi et pulcher, doctus et acer eras.

5. Miraris quod te contra nunc, Carole, culpo;

Non ego, fed tempus dixerat illa tibi.

De Dionyfio tyranno Syracufarum. CCLVIII.

Cum Siculis dapibus trepidus male vefcitur hofpes,

Ac fufpenfa horret tela; tyrannus ait:

Haec mea conditio eft, quem tu rebare beatum,

I, nunc, felicem, qui timet, esfe puta!

Con-

Conqueritur de ſua inopia. CCLIX.

Nec remanere queo, ſed nec diſcedere posſum,
Talia jusſa vocant, talia vincla tenent.
Presſus in anguſto quid agam? quae Numina clamem?
Sunt, puto, ſed miſeris dura favere negant.
Te precor, affer opem, Mutinae placidisſime praeſul,
O decus! o Muſis, prime patrone, meis!
Non tamen aut boreae pulſurum flabra cucullum,
Aut mulae poſco, mollia terga, tuae,
Nec frenum, aut ſellam, nec quicquam tale; quid ergo?
Debeo Guarino pauca; ſidejubeas.

Vulg. v. 4 nego.

Ad Gallionem. CCLX.

Gallio, quid prenſas? quid adhuc, inſeſte, reſiſtis?
Si caveat, ſatis eſt, qui rediturus abit.

In-

In eundem. CCLXI.

Si nec legitimi curas chirographa ligni,
Nec te nostra fides, Numina nostra, movent,
Securum faxo te praestet idoneus auctor,
An dubitas etiam credere pontifici?

* *Ad Ioannem Antonium.* CCLXII.

Quod tibi, Ioannes Antoni, nulla refertur
Tam magnis in me gratia pro meritis;
Ne crede ingratum, neve admirere; referri
Gratia tunc debet, cum satis aequa potest.

Conqueritur, quod se, socii ad Lupanar seduxissent. CCLXIII.

Quo me, quo trahitis, mei sodales?
Ad foedum, puto, vadimus lupanar.
Nam quis tam procul hic locus recessit,

Post

Poſt pomoeria ſacra, poſt tot hortos,
Cellis vilibus et frequens cathedris?
Fucatae quibus inſident puellae,
Structuris caput arduae ſuperbis,
Collo pendula vela geſtitantes,
Nec presſae teretes ſinu mamillas.
Quidnam hoc? ille manu retractat,
Ille amplectitur, hic peroſculatur,
In cellam praeit ille ſubſequentem.
Ite hinc, ite, malam in crucem, ſceleſti;
Non vos ducere me deambulatum
Dixiſtis? ſimul ire cum negarem.
Hoc me jam indice reſciet Guarinus.

Vulg. v. 9 deſunt mamillae. v. 14. totus deleit.

De Paulo ſummo Pontifice. CCLXIV.

Qui modo Petrus eras, Paulus nunc diceris idem,
Ac Petri et Pauli culmina ſumma tenes.

Cla-

Vulg. v. 1. Paulus nunc. v. 2. *Et*, pro Ac.

Clave potens, meritis reſerat coeleſtia Petrus,

At Paulus gladio noxia cuncta ſecat.

Sic et tu amborum fungens vice, maxime praeſul,

Percute ſacrilegos, ſidera pande piis.

Ad Lunam. CCLXV.

Quid metuis? terraene umbram? magicosne ſuſurros?

A torvo potius, Luna, Leone cave.

Vulg. v 1. terraeve -- magicosque.

---

* *De Bononia.* CCLXVI.

Quae poterat dici ſtudioſa, Bononia, quondam,

Nunc eadem dici ſeditioſa poteſt.

* *De ſacrilego.* CCLXVII.

Terreus iſte Iovem ſpectans, quaſi talia fatur:

Terra, volo, mea ſit, tu, pater, aſtra tene.

Quaedam deeſſe videntur in hoc epigr.

* *De Thrasybulo Lacedaemonio. E Graeco, Anthol. L. III. cap. 5. CCLXVIII.*

In clypeo exanimis Pytanen venit Thrasybulus,
Septena Argolico vulnera ab hoste ferens,
Cuncta adversa tamen; perfusum sangvine, flammis
Tynnichus injiciens, protulit ista senex:
Dent timidi lacrymas, ego te sine fletibus uram,
Nate, meum nec non et Lacedaemonium.

* *Epitaphium Guarini. CCLXIX.*

Guarinus jacet hic, lingvam diffudit in orbem
Qui Latiam; Latio reddidit Inachiam.

Epitaphium Christophori Galli, medici. CCLXX.

Nomine Christophorus fuerat, cognomine Gallus,
Cujus in hoc tumulo condita membra jacent.
Heu quantum distat natali a sede sepulcrum!

Pan-

Pannonia extinxit, Brixia progenuit.

Saepe colos medica fatales arte morantem,

Tres indignatae praeripuere Deae.

Qualem optet amicam. CCLXXI.

Si jaceat mecum lacta et laſciva, licebit

Ne ſit bella nimis, neve puella nimis.

Non triſtis facies, non me rudis allicit aetas,

Omnibus his unam, plus amo, nequitiam.

* *In adulterum.* CCLXXII.

Cum vicina magis ſectare cubilia Crispo,

Uxorem quare non potes, Arbe, tuam?

An tibi ſecuro langvet permiſſa voluptas?

Nec niſi in illicito mentula amore viget?

* In priore diſticho menda latere videtur.

In

In Gryllum. CCLXXIII.

Aurea Pythagoras, argentea carmina fecit
Phocylides; fed tu plumbea, Grylle, facis.

* *In Crispum.* CCLXXIV.

Hispani ne, quaefo, legas epigrammata vatis
Cum mea legifti, fed tua, Crispe, legas.

De litera Pythagorae. CCLXXV.

Turma gruum bifido tranat connexa volatu,
Inde novae Samio ducta figura notae.

Vulg. v. 1. convexa.

* *In meretricem lafcivam.* CCLXXVI.

Cum ventrem ventri, femori femur, ora labellis
Conferui, et dxoop nfouxmb delituit,

Principio cunctas vincis laſciva puellas,
Nequitiae, et cedit noſtra libido, tuae.
Amplexus hederas ſuperant, et baſia conchas,
Nec deeſt officio, dextera, lingva, natis.
Poſtquam effuſa tibi eſt nimium feſtina voluptas,
Iam ſatis eſt, clamas, Lucia, jam ſatis eſt!
Quid medium praecidis opus? quid inepta repugnas?
Expecta, nondum, Lucia, efgxuxk.

* *Ubi aſini exonerantur.* CCLXXVII.

Dura, viatores, deponite pondera laſſi,
Nam jubet hic aſinos exonerare locus.

In Theclam. CCLXXVIII.

Dum culta incedis, major mihi, Thecla, videris,
Quam fuit Alcmene, quam fuit Andromache;
Stringere cum nudam volui, tunc corpore majus
Deplumata tuo, noctua corpus habet.

In Ovillum. CCLXXIX.

Esse super terras si quis, genus Acephalorum
Haesitat, is vultus cernat, Oville, tuos.
Nam tibi tam parvum caput est, ut sit prope nullum,
At minor et nullo est sensus, Oville, tibi.

Vulg. v. 4. et nullus sensus, Oville, tibi est.

In Hodum. CCLXXX.

Pomorum genus est, quae turpia, sed bona dicunt,
Tu dici bellus, sed potes, Hode, malus.

In adulterum. CCLXXXI.

Dum quasses aliena fulcra moechus,
Uxori propriae, Severe, parcis.
Sic, cui cellula rumpitur Falerno,
Vicina bibit Hodus e taberna.

De

Vulg. v. 1. quassas.

De carminibus suis. CCLXXXII.

Accipitrum et leporum si te repetita fatigat
Fabella, Hispani respice vatis opus.
Invenies illic, toto quam saepe libello,
Velox Marmarico, ludat in ore lepus.

* *Belenes. CCLXXXIII.*

Brigida Belinis, sive haec tibi nomina, regum
Bela parens, certae, sive dedere, ferae,
* * * * * * * * * * * * * * * * * *.

Desunt quaedam. quin et lemma mendosum videt .r.

In Brigidam podagrosam. CCLXXXIV.

Brigida dum molli podagrosa quiescit in herba,
Repsit ad infirmum, longa colubra, pedem.
Quam simul asspexit toto circum orbe volutam,
Prosiliens stratis currere coepit anus.

5. Nec

Nec deinceps ullos ſenſit curata dolores,
Contulit et caſus quod medicina negat.
Seu timor id fecit, ſeu tactos forſan in artus,
Paeonia arcanam beſtia miſit opem.
Heu! ſua quam meritis redduntur praemia raro,
Ille opifer ſerpens fuſte peremtus obit.
Iudice me, reduci fueras mox digna chiragra,
In benefactorem, femina iniqua, tuum.

Vulg. v. 5. ſenſit ullos. v. 6. huic caſus. v. 9. ſua quod - - raris.

---

* *De Bilbili.* CCLXXXV.

Bilbilis et ferrum, pariter producit et aurum,
Perdere mortales iſta metalla ſolent.
Aurum nam bellis cauſas et pabula praebet,
Cudit de ferro noxia tela faber.

In Ladvancum. CCLXXXVI.

Est, mollis Ladvance, tibi tam mascula conjux,
Uxoris posſis uxor ut esſe tuae.

Vulg. v. 1. Landvace. v. 2. posſes.

De Byzantio. E Graeco. CCLXXXVII.

Prima mihi Odryſius praetendit moenia Byzas,
Proxima Amyclaeo, debeo, Pauſaniae.
Haec poſtquam Libyci, trux verterat ira, Severi,
Abſtulit Auguſtis, qui ſua regna, tribus,
5\. Reddidit hinc lapſos, mutato nomine, muros,
Dum ſecat Auſonium, Flavius, imperium.

In Prosperum. CCLXXXVIII.

Quam te, Prosper, amem, potes hoc cognoſcere ſolo,
In coelum e terris, te quod abire velim.

In

Vulg. v. 1. agnoſcere.

* *In Luciam.* CCLXXXIX.

Hunc cum, Lucia, mentulatiorem,
Qui naſatior eſt, inepta credas,
Rivali puto me carere ſummo,
Quod nondum tibi viſus eſt Philemon.

v. 2. Etſi forte ſcripſerit Ianus, *naſatum*; melius tamen legeretur: *vaſatus* vel *naſutus*.

* *In Luciam eandem.* CCXC.

Dum juvenes poppysma rogant, tu, Lucia, naſum
Inſpicis, et quantum prominet ille, notas.
Hoc perpendiculo virgas metire viriles,
Hic tibi pro palmo eſt ſcilicet, et cubito.
Si placuit naſus, placet illico mentula, amantis,
Nec plus blanditiis addita dona valent.
Nil jam in te, lenone opus eſt, nil arte magiſtra,
Lenonis vires naſus et artis habet.
Nec niſi naſatus tecum decumbit adulter,

Ut jam ego me fieri rhinocerota velim.
Lucia, crede mihi, multum prognoſtica fallunt,
In me nam certe regula vana tua eſt.

v. 10. in MSto. erat: Rhinocerenta.

De eadem. CCXCI.

Aſtutus modo Luciam ſodalis,
Miri fraude nova doli ſubegit.
Naſum, qui ſibi non ſatis tumebat,
Nam crabronibus obtulit notandum.
Sic dum turgidus ore ſubrubenti,
Tranſire aſſimulat, vocatus ultro eſt.

Verba Clytaemneſtrae ad filium Oreſtem. E Graeco. Anth. L. I. cap. 30. CCXCII.

In ventremne, tuum, vel mammas, dirigis, enſem?
Haec te mamma aluit, venter at iſte tulit.

Ad libros ſuos. CCXCIII.

Vos, Ovidi, Lucane, Maro, ſi forte poteſtis,
Mutua praeſtetis bis mihi, quaeſo, decem.
Ceſſatis? jam vos ſaxo Iudaeus habebit,
Qui ſervat magnae, lintea juncta, viae.
Iſtic ignavi tineas et paſcite mures,
Nil opus eſt veſtris nunc mihi carminibus.
Nunc mihi opus numis; quarto vos menſe videbo,
Venerit interea ſi quid ab Hungaria.

Vulg v. 7. Nunc opus eſt numis. v. 8. incerta - Ungaria.

In Iudaeum foeneratorem. CCXCIV.

Lucanum, et juncto pariter Naſone, Maronem,
Redde mihi Iuda, ſeu mage tu Salomon.
Quid dubitas? ego tres olim tibi nempe libellos,
Inſpice ſi Iani chartula nomen habet.

5. Quis

Vulg. v. 3. olim dedi.

Quis modus usurae? sortem, inquis, foenus adaequat.
Si verum dicis, perfide, non redimo,
Hic pereant; tanti vix illos auctio vendet;
Insanit suamet pignora quisquis emit.

De leonibus per Florentinos missis, ad Matthiam regem. CCXCV.

Non tibi, Matthia, rex invictissime, frustra
Gens Massyleum misit Hetrusca pecus.
Multarum fecit par convenientia rerum,
Haec merito possent ut tibi dona dari.
Tu Princeps hominum, princeps leo nempe ferarum,
Nobilis ille juba, pulcher es ipse coma.
Ungvibus ille ferox, gladio tu fortis et hasta,
Parcere tu victis, parcere et ille solet.
Quid, quod idem ducibus, clarum est insigne, Boëmis?
Grande novi sceptri scilicet omen habes.

Vulg. v. 4. possint. v. 8. ipse solet.

De iisdem leonibus ad eundem regem. CCXCVI.

Iunge, licet, facros, junge ad tua frena, leones,
Hoc tibi, Matthia, dat Cybele ipfa, decus.
Seu te per terras vectari forte juvabit,
Non cadet illorum fub pede laefa feges.
5. Sive voles pelago, Neptuni currere ritu,
Planta levis fumma non madefiet aqua.
Tu tamen in coelum potius, fed ferus, abito,
Novere has etiam, talia monftra, vias.

Vulg. v. 3. libebit. v. 8 Norunt.

De iisdem ad eundem. CCXCVII.

Nil eft, magnorum, Matthia maxime, regum,
Quod jam dite, petas amplius, e Latio.
Tota tibi in varios Oenotria certat honores,
Quaelibet et proprias, ora miniftrat, opes;
5. Aurum, Roma parens, Veneti fua ferica mittunt,

Prae-

Praebet cornipedes Appulus, arma Ligur.
Contulerat nullum, Florentia sola, tributum,
Quae nunc Marmaricas, obtulit, ecce, feras.
Dignum te, nostro, vectigal et illa pependit
Iudicio, fortem, fortia dona, decent.

De iisdem, ad eundem. CCXCVIII.

Haud leviter quondam laetatum Eurysthea dicunt,
Nec decus id titulis, vile putasse, suis,
Alcides cum prima viri mandata secutus,
Torva Cleonaeae, protulit ora, ferae.
Clarior at quanto est, Matthiae gloria regis?
Cui venit hic longe, sed duplicatus, honos.
Quippe illi extremis, geminam, nec jussus, ab oris,
Sponte tua mittis, monstrifer Arne, jubam.

---

v. 1. pro, *Haud*, in MSto. erat: *Quod.* Ibid. v. 4. erat: *praetulit.* forte legendum: *retulit.*

In Lappum. CCXCIX.

Pauper eram, tunc me nec noſcere, Lappe, volebas,
Sum locuples, offers mutua, Lappe, decem.
Sume, triplum dono, ſed conditione ſub illa,
Ut miſer, adverſo Numine, ſemper agas.

Vulg v. 3. ſub iſta.

De Romanorum potentia. E Graeco. CCC.

Iulius aethereas divus, cum ſcanderet arces,
Iupiter ad Superos, talia dicta dedit:
Nec pontus, rerum dominos, nec terra, Quirites,
Iam capit, en etiam ſidera noſtra petunt!

De eodem. E Graeco. Anthol. L. I. cap. 5. CCCI.

Aeternum magni, Deus, obſtrue lumen Olympi,
Arces cuſtodi, Iupiter, aethereas.
Iam mare, jam terras, virtus Romana ſubegit,
Nec niſi ſidereum ſcandere reſtat iter.

Ad

Ad Matthiam regem. CCCII.

Quae te ultra tellus, quae gens feret, inclyte regum?
Quis non auditas procidet ante tubas?
Quandoquidem saevi, tibi jam cessere, Boëmi,
Haud unquam externum, natio passa, jugum.
Si venit insignis, de quolibet hoste, triumphus,
Hactenus invicto qualis ab hoste venit?

Vulg. v. 1 quae te feret. v. 5. in MSto. erat: *Sic*, pro Si.

In Carolum. CCCIII.

Antiquarius es, dicis mihi Carole; certe;
Sed pejus multo est esse neotericum.

Vulg. v. 1. mihi dicis.

In Paulum. CCCIV.

Orationem, Paule, tu prosam dictas,
Ego dulce carmen concino, sed ut censent
Sane haud maligni judices, nec indocti,
Ambo figuris utimur parum bellis;
5. Facio archaïsmos, Paule, ego, et metaplasmos,
Tu barbarismos et facis soloecismos.

Vulg. v. 2. Ego dulce carmen gemo.

In Ugonem. CCCV.

Divitior cum sim, cum sim te junior, Ugo,
Sangvinis et clari nobilitate prior,
Cum melius cantem, cum pulchro pectore praestem,
Cur dat nulla mihi? cur tibi nulla negat?
5. An te tam gratum fecerunt balnea nuper?
Nempe illic multis mentula visa tua est,

Men-

Vulg. v. 6. melior pars quoque visa tui est.

Mentula, Sileni quantam nec vector habebat,
Hellespontiaco, mentula digna, Deo.
Nimirum huic omnes se devovere puellae,
Haec praemit, haec dotes obruit una meas.

Vulg. v. 7. Membrum. v. 8. pars ea digna.

---

* *De vulva Ursulae. CCCVI.*

Blanda est lingva tibi, mollis caro, vultus honestus,
Ante opus et nobis, Ursula, tota places;
Cum vero incubui, tam laxo mentula cunno
Incidit, ut cunnum nec subiisse putet.
Non latus aut fundum sentit, velut aëre nudo
Palpitet, in liquidis vel spatietur aquis.
Sed vasto infelix late bacchatur hiatu,
Ac frustra in votum nititur aegra suum.
Nec vibrare nates, aut stringere brachia prodest,
Alta nec in scapulas tollere crura juvat.
Conatus pereunt, perit omnis sudor anheli
Pectoris, et ruptis ilibus ossa dolent.

Dii

Dii tibi vel tollant quo digna videris amari,
Vel tribuant possis, Ursula, quo futui.

In Theodorum. CCCVII.

Antiquarius es nimium, Theodore, nec illis
Uteris in nitido quae Cicerone legis,
Sed Plauti tibi verba placent, et si qua protervus
Incidit priscis, Appius, in tabulis.
Nec nisi sumta probas de docto nomina Festo,
Quondam roboreis illita caudicibus.
At Cadmi lingvam non affectavit Homerus,
Nec Numa Pilumni, Scipiadesque Numae.
Quodsi bella negas, culto quae protulit usu,
Aetas bis senis inclyta Caesaribus,
Iam, licet, usurpes, quae dixit Tullus et Ancus,
Quae fratri et tenero tradidit, Acca, Remo.
Vel potius Fauno Picus, Faunusve Latino,

Evan-

Vulg. v. 7. Ast. v. 8. Pelignum. v. 12. acta.

Evandri quibus eſt vaticinata parens;
Exul quae Latiis, didicit Saturnus, in oris,
Qualia non uno Ianus ab ore dabat.
Scilicet iſtud agis, ſolum miremur ut omnes,
Falleris; haud tali gloria calle venit.
Sit tibi praeſentum ſermo, ſit vita priorum,
Laudari ſi vis, et, Theodore, legi.

Vulg. v. 15. Saturnius oris. v. 17. miremur ut unum.

* *Cur ſtellatum ſit coelum.* CCCVIII.

Ante fuit ſimplex coeli color; aſt ubi furto
Titanum, paene eſt regia capta Iovis,
Arcis Olympiacae tum demum in turribus altis,
Aſtrorum excubias diſpoſuere Dei.

In

In non restituentem mutuum. CCCIX.

Plus me, tu perdis, data quod duo reddere non vis,
Si duo reddisses, mille daturus eram.

Vide paullo aliter expressum hoc Epigr. ad num. CCCXX. Vulg. v. 1 Plus te nunc.

In Lupum. CCCX.

Mutua dissimules cum solvere; munera mittis;
Redde meum primo, da, Lupe, deinde tuum.

Vulg. v. 1. dissimulas - munera solvere.

In eundem. CCCXI.

Grandem te et luscum, vere Cyclopa vocamus,
Verius id fiet cum, Lupe, caecus eris.

In Vitum. CCCXII.

Lector et auditor cum desit, Vite, requiris
Cur scribam; Musis et mihi, Vite, cano.

In Guidonem. CCCXIII.

Cum ſis pauperior Codro vel Iro,
Cur dives, Guide, quaeris aeſtimari?
Conducti tibi quid, rogo, clientes?
Quid falſo virides vitro ſmaragdi?
Quid mentita Tyron lacerna prodeſt?
Sortis praeſtigiae beatioris.
An paſſim tibi ducis invideri?
Nec cuiquam eſſe putas cor aut ocellos?
Sed jam te, licet, eſſe ditiorem
Lydorum ſimul, et Phrygum tyrannis,
Oſtendas, Guide; credimus, fatemur,
Dum ſis pauperior Codro vel Iro.

Vulg v. 2. Guido. v. 5. tyro. v. 7. poſſum tibi dives invidere. v. 11. Oſtentes.

* *In Ugonem.* CCCXIV.

In re vis omni, sapiens nimis, Ugo, videri,
Sed minus ille sapit, qui nimis, Ugo, sapit.

In Ms o. erat: In te vis.

* *In Linum docentem paedicare.* CCCXV.

Praeco salutiferi, Line, flagrantissime, verbi,
Siccine deterres turpibus a vitiis?
Cum quis paedicat, fugere inquis daemonas omnes,
Quis non paedicet, si, Line, vera refers?

* *In eundem.* CCCXVI.

Interpres, Line, codicum sacrorum,
Francisci rigidam secute sectam;
Audires mea forte confitentem
Dum me crimina; saepe non negavi,
5. Lascivo cubuisse cum cinaedo.

Tu zelo, illcet, ac furore plenus,
Clamasti subito per omne templum,
Cur tantum facinus miser patrasſem?
Hoc egi, Line, non libidinose,
Sed tetros uti daemonas fugarem.

* *De eodem. CCCXVII.*

Orabam frustra, frustra jejunus agebam,
Nil opis in donis, nil erat in crucibus;
Nam tanto diris, gravius tentabar, ab umbris.
Sed nunc paedico; daemones aufugiunt.

v. 2. In MSto. erat: Nil opus,

De eodem. CCCXVIII.

Infesti posſent qua daemones arte fugari,
Nemo prius norat; nunc Linus edocuit.

* *De*

Vulg. v. 1. possint.

* *De eodem.* CCCXIX.

Ite procul ſupera lapſi de ſede maligni;
Formoſus noſtro, eſt Troſlus, in gremio.

De negante mutuum. CCCXX.

Mutua neſcio cui dederam duo nuper amico,
Accepisſe tamen, perfidus ille, negat.
Iactura o felix! o nobis utile damnum!
Si duo ſolvisſet, mille daturus eram.

Hoc Epigr. paullo aliter expreſſum vid. ſupra num. CCCIX. Vulg. v 3. nobis ſimul utile.

De vulva Urſulae. CCCXXI.

Totus devoror Urſulae barathro,
Alcide, niſi ſubvenis perivi.

* De

Vulg. v. 2. Alcides.

* *De eadem. CCCXXII.*

Taenarias videor fauces, alta oſtia Ditis
Ingresſus, quoties, Urſula, te futuo;
Tam patet ingvinei ſiquidem deſcenſus Averni;
Sed revocare gradum plurimus inde labor.
Nam quanto presſi magis, hoc magis atra vorago
Panditur, et late cedit inane Chaos,
Quod caperet teneri, coëuntia ſemina, mundi,
Quo posſent atomi pervolitare leves.
Nec tantum penem, ſed teſtes, ilia, lumbos,
Devorat, ac pariter brachia, crura, caput.
Pridem me trepidi, planta eduxere, miniſtri,
Tractus ab Alcida Cacus ut ante fuit.
Deſine jam miſeros, Erebo deducere manes,
Amplius hic barathrum, Pliade nate, patet.

* *De*

* De eadem CCCXXIII.

Quantus ad aethereum, coeli suspectus, Olympum,
In praeceps tantum bis tibi vulva patet.
Hujus non toto, sentirem Cerberon, antro,
Non Stygis hanc obeant flumina tota novem.
Haud illinc, Castor fraterna morte, redisset,
Virtute Alcides, carmine Threïcius.
Si sciat hoc rector Superum, qui jactat ab alto,
Facta Pyracmonia, tela trisulca, manu,
Hac et Aloïdas geminos demergat abysso,
Huc pariter Coeum trudat et Iäpetum.
Si Parnasiacae, sciat hoc, Deus incola, Cirrhae
Vulture rodendum, porrigat hic, Tityon.
Nec quinquagenis immanem faucibus hydram,
Ipse alio, Pluton mallet hiare, loco.

O-

v. 9. In MSto. erat: Hoc --- demerget. v. 10. trudet. v. 12. porriget.

Omnia sed quamvis concurrant monstra, nequibunt
Dimidia cunnum, parte replere, tuum.

Roma ad hospites. CCCXXIV.

Quisquis es, ignotis huc vecte a sedibus, hospes,
Advena nunc, olim civis et ipse meus;
Seu levis ambitio, seu lis te huc improba duxit,
Seu peregrinandi religiosus amor;
Hoc te, care hospes, precor urbs veneranda Quirini,
Cum secura tuis otia rebus erunt;
Percensere meas, pia sit tibi cura, ruinas,
Sic videas patriae, moenia salva, tuae;
Vel si festinas, semel udo lumine saltem,
Asspice sim qualis, concipe qualis eram.

In duo epigrammata sunt divulsa in MSto. membra hujus epigrammatis. Vulg. v. 3. ducit.

De

De Pio pontifice maximo, qui obiit in expeditione contra Turcos. CCCXXV.

Cum Pius in Turcos pia tollit ſigna Secundus,
Dum culpant ſegnes, ſtrenua bella, patres,
Dum ſimul Occaſus ſequitur, ſimul Arctos euntem,
Solvere dum claſſem, dum dare vela parat;
Hadriaci extinctus Piceno in litore ponti,
Famoſum ſubito funere rupit iter.
Sis licet ingentis, vana ſpe luſa, triumphi,
Da veniam fatis, anxia Roma tamen.
Praeciſas neu plange vias; fortaſſe fuiſſet
Perveniſſe minus, quam properaſſe fuit.

Vulg. v. 1. Dum.--ſumit ſigna.

In Ugonem. CCCXXVI.

Barbara me mater quod protulit, objicis, Ugo;
De Phrygia nati, ſunt genitrice, Dei.

Ad Troïlum. CCCXXVII.

Vis tua facta canam, nec vis dare, Troïle, quicquam,
Sed dicis: Tua ſic fama perennis erit.
Nil de te ſcribam licet, hoc Tirynthius heros,
Hoc Ithacus nobis, hoc dabit Aeacides,
Vel Pagaſaea ratis, vel mutua vulnera fratrum,
Vel pars Romanae quaelibet hiſtoriae.
Quid, quod tu pariter celebraberis? et tua ſemper
Vivent nominibus, nomina juncta, meis?
Aut etiam ſi me, neglectus omiſerit index,
Te tamen inſignem pagina tota feret.
Nil ago; cunctaris pretium taxare poëtae;
Haec ſumma eſt: vel da, Troïle, vel taceo.

Vulg. v. 5. Pegaſea. v. 9. omiſeris.

Ad eundem. CCCXXVIII.

Troïle, non tantum noſtrae mea carmina proſunt,
Sed famae proſunt amplius illa tuae.

Fac tamen amborum ponantur commoda in aequo;
Sic etiam medium jure fubibis onus.
Pallori noftro fit inanis gloria merces,
At vobis conftet, quod venit inde, decus.
Si pro me non vis, vel pro te, Troïle, folvas,
Perdo meam partem, perdere nolo tuam.
Hoc eme de noftro, gratis hoc fume, libello,
Qui fua partitur non vel iniquus homo eft.

Ad Rullum. CCCXXIX.

Quantum Phryx Mida, Lydiusve Croefus,
Vel Xerxes habuit, paterve Xerxis;
Tantum fi tibi, Rulle, opum fuarum,
Pleno Copia fundat alma cornu,
Dici non poteris tamen beatus,
Affectum nifi comprimas habendi.

Non

Vulg. v. 3. fit tibi.- - tuarum.

Non, cum plurima, Rulle, posſidentur,
Sed cum nil cupitur, beatitudo eſt.

In Lippum. CCCXXX.

Mendiciſsime de meis amicis,
Si cenſum tibi, Lippe, dent equeſtrem,
Menſores levium, Dei, bonorum,
Iam nunquid eris memor ſodalis?
Vel centum tibi mutuabo numos,
Nec totis, ais, exigam Kalendis.
Nolo ſim tibi, Lippe, tam moleſtus;
Iſtud, nunc quod es, esſe perſevera.

Ad Stoïcum quendam. CCCXXXI.

Virtutem nihil exteris egentem,
Invictam, inviolabilem, incoactam,
Semper, Stoïce, praedicas ἔχεφρον,
Quam qui pectore posſidebit alto,
Nudus, mille licet ferat labores,

Pla-

Plagas, vulnera, carceres, catenas,
Quamvis per cumulos Libysſae arenae,
Arctoaeve nivis, vagetur exul;
Non, inquis, poterit miſer vocari,
Sed ſemper bene vivet ac beate.
Respondere ſinas tibi me, ἔχεφρον,
Concedo, bene, ſed nego, beate.
Aut pugnantia copulare ſi vis,
Dicas hunc, miſere, licet, beatum,
Sin perſtas, et adhuc tenere crudum,
Ac defendere dogma perſeveras;
Dii talem tibi dent beatitatem!

Vulg. v. 8. nimis. v. 10. *et* pro *ac*. v. 11. unis v. 14. beate.

De ſua aetate. CCCXXXII.

Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,
Si nato verum tradidit ipſa parens,

So-

Vulg. v. 1. et hic.

Septimus accedet, cum flava cucurrerit aeſtas,
Mitior et Phoebum devehet Erigone.
Iam mihi vox gravior, jam pubes ingvina circum,
Serpit, et in Venerem mentula ſaepe tumet.
Ignea jam viſa, vibrantur corda, puella,
Iam mihi, per ſomnum, lintea ſaepe madent.
Eminus hinc igitur moneo, liberte, recedas,
Quem puero comitem cura paterna dedit.
Cedat et hircoſo trux cum tutore magiſter,
Nec juris quisquam me vetet esſe mei.
Hac, nucibus, teneris hac luce renuntio bullis,
Hac, decus Auſoniae ſumo virile togae.

Vulg. v. 6. humanas admonet illa vices. v. 8. ſeſe obverſant ſomnia vana mihi. v. 11. magiſtro.

* *In Syllam.* CCCXXXIII.

Cum debes mihi, Sylla, ſingis iram,
Ne te ſcilicet aes meum repoſcam,
Sed dicam; tibi habe, modo gravari

De-

Desistas, et ut ante, sis amicus.
5. At nunquam hoc ego dixerim, sed illud:
Quantum me libet oderis, licebit,
Obtrectes, miniteris, insequaris,
Dum tantum mihi creditum refundas.

v. 5. erat in MSto: dixerem.

De Thespi et Aeschylo. E Graeco. CCCXXXIV.

Primus plaustrisono mirandus carmine Thespis
Unxit picta sui, faecibus ora, chori.
Proximus ingentem traxit per pulpita pallam,
Aeschylus, et fictas addidit arte genas.

* *De Thespi.* CCCXXXV.

Coepit sordidus ore faeculento,
Plaustris carmina vectitare Thespis.

In Cyprianum. CCCXXXVI.

Quo tibi perfonam? nudo licet ore vageris,
Omnes larvatum te, Cypriane, putant.

In eundem. CCCXXXVII.

Quod toties ficta, tua velas ora, figura,
Non folo facis hoc, tu Cypriane, joco;
Sed magis ut foedus, tali fub imagine vultus,
Delitoat; larvam fic tibi larva tegit.

De fe ipfo. CCCXXXVIII.

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum,
Perlege et haec, fi quis cetera forte legis.

Vulg. v. 2. leges. Male autem copulatum erat hoc epigramma cum fequenti.

De

De verfibus Marcelli a fe Latine expresfis. CCCXXXIX.

Saepe fuas flammas, veteres flevere poëtae

Cuilibet et, pro fe, Mufa diferta fuit.

Nos in amore rudes, Marcelli lufimus ignes,

Quos modo vulgari luferat ille lyra.

5. Sive voles cultos, Itala teftudine, rhythmos,

Ille dabit quales ante Petrarca dedit.

Seu cupies elegos Latia fub lege fonantes,

Sumetur vacuo, pagina noftra, tibi.

Vulg. v. 1. cecinere poëtae.

De eodem paullo aliter. CCCXL.

Saepe fuos ignes, veteres cecinere poëtae,

Cuilibet et, pro fe, Mufa diferta fuit.

Ipfe in amore rudis, Marcelli incendia lufi,

Ille ego Pannoniae, gloria prima, meae.

De Agnete. (*vel potius*, *de Alte.*) CCCXLI.

Agnes, vita, tuos, quoties contemplor, ocellos,
Sidera me toties bina videre puto;
Sidera sed toto, longe pulcherrima, coelo,
Qualia sunt nitido cum Iove nostra Venus,
Aut inter fixos stellarum Sirius ignes,
Sirius Arcturo si coëunte micet.

Vulg. v 6. nitet. In MSto. in duo loca, disjecta reperiuntur hujus epigrammatis membra. Prius distichon lemma habet: *De eodem*, ut ad Marcelli versus referatur. Reliqua duo disticha longe inferius extant, sub hoc lemmate: *Ad eandem*, puta Iustinam. Quare Sambucus aut quis alius composuit et inscripsit: *De Agnete.* Nam v. 1. pro *Agnes* extat, *Alte*; quod nobis ignotum est nomen.

In Malcum. CCCXLII.

Iejunam tolerare sitim, sudare sub armis,
Frigus et insani caumata ferre canis,
Cum belle possis haec omnia; non potes illud.
Ne facias, male sit, cum bene, Malce, tibi est.

In Senecam lippum. CCCXLIII.

Quid, Seneca, obtuſos, fruſtra cauſaris, ocellos?
Ingenium clades adjuvat iſta magis.
Teſtis Democritus, qui, quo ſapientior esſet,
Luminibus tenebras intulit ipſe ſuis.
Caecus erat Cyclops, calamis cum dulce creparet,
Cum caneret Trojam, caecus Homerus erat.
Caecus et ille ſenex, Pyrrho qui pace negata,
Reppulit a Latio dedecus imperio.
Steſichorus ſonuit melius, cum lucis egebat;
Plus etiam Thamyrin tunc placuisſe ferunt.
Caecum divitiis dominatur Numen; an hoc eſt,
Tam male quod mundi diſtribuuntur opes?
Caecus Amor, Grajo ſi verum carmine luſit
Sicelis arguti fiſtula Simichidae.
Quid, quod et ipſa caret nitido Rhamnuſia viſu,

Om-

Vulg. v. 9. *luſit*, pro *ſonuit*.

Omnia quae rapidae, ventilat orbe rotae?
Hoc tamen illa unum recte justissima vidit,
Quod de te, Seneca, reddidit Oedipodem.

* *Ad Guarinum.* CCCXLIV.

Non te mellifluae Nestor Homericus,
Lingvae dulciloquo nectare vicerit.

* *De Narcisso et Pygmalione.* CCCXLV.

Visa in aquis suamet Narcissum torsit imago,
Pygmalion mutum stultus amavit ebur.

Videtur carere apodosi hoc Epigr.

De se quod amare coepisset. CCCXLVI.

Quod mihi divino tu saepius ore solebas
Dicere, nunc, Michaël, exitus ecce probat.

Haesi-

Vulg. v. 2. pro, ecce, *ipse*.

Haeſimus, et totis concepimus oſſibus ignem,

Concidit et tandem ſpiritus ille meus,

Cum te dementem dementia noſtra vocabat,

Cum mox ridendo tu mihi riſus eras.

Quare in amore rudi, doctisſimus ipſe, ſodali,

Conſilium quaeſo, confer et auxilium.

Ad Magdalenam. CCCXLVII.

Commater mea, Magdalena, quantis

Te posſum precibus, miſellus oro,

Praeſtes auxilium meo furori.

Priſcam depereo tuam propinquam;

Hanc, quae continuis fere diebus,

Ad te ventitat, asſequente nullo,

Tecum luſitat, ambulat, lavatur,

Tecum cantilat, et tuos per hortos,

Cervo ſaltitat ocyor quadrimo.

Novi

Vulg. v. 7. luſtrat. Ibid. in MSto: *lanatur*, pro, lavatur.

Novi, quam tibi nil neget jubenti;
Quantum consilio tuo acquiescat;
Tu si praecipias, diebus octo,
Potum non capiet, cibo abstinebit,
Commenda, precor, huic meos amores,
Neu me despiciat, mone propinquam,
Quodsi plus aliquid mihi ordinares,
Illud quod prohibet pudor fateri,
Donarem tibi quicquid ipsa velles.

* *Ad Luciam. CCCXLVIII.*

Laesisti stultae morsu me, Lucia, lingvae,
Nunc ego me culicem, scilicet esse velim.
Ut possem contra te laedere; nunc ego moestus
Quam jaceo, fieret tam tibi amara quies.

---

v. 2. in MSto. erat: *pulicem*, pro quo reposuimus, culicem.

Optat coitum puellae. CCCXLIX.

Agnes, da mihi, quod tuo marito;
Quodſi des, tamen inde nil peribit.
Ambos quod pariter datum juvabit,
Ad quod vos opifex Deus creavit,
Quodſi non foret, unde gigneremur?
Quod mater tua ſi patri negasſet,
Nec tu nata fores, tui nec iſti,
Qui me urunt facibus ſuis ocelli.
Semper quod dare feminae poteſtis,
Semper ſumere quod viri nequimus.
Quod praeſens placet, urit affuturum.
Nec triſte eſt, niſi quando non habetur.
Quod terram replet, et profunda ponti,
Quo jucundius esſe nil putatur.
Primo quod dare virgines recuſant,

Aeter-

Vulg. v. 4. nos. v. 8. nimium ſcias.

Aeternum dare deinde concupifcunt,
Quod dat Iuno Iovi, Venus Gradivo,
Quod mortalibus et Deae dederunt.
Quod tu fi dederis, lucrum asfequeris,
Quod fi non dederis, diu dolebis.
Respondet nihil, ergo jam negavit,
Sed ridet tamen, ergo jam fpopondit.

Vulg. v. 16. deinde, fed in MSto: *dein*.

Ad Georgium. CCCL.

Nil mihi das, quando trifti das fronte, Georgi,
Larga fuam faciem debet habere manus.

De Luciae prognoftico. CCCLI.

Fecit Virgilius Prognoftica, fecit Aratus,
Praefciat unde imbres rufticus, unde notos.
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *.

Hoc

In MSto. duo epigrammata fub hoc lemmate extant, quae Sambucus

Hoc, juvenes, veſtris, Prognoſticon addite libris,

Quod nec Virgilius, ſed nec Aratus habet.

bucus confudit. Hic autem poſt prius diſtichon lacuna videtur eſſe, unde ſtellulis defectum notavimus.

De Luciae Prognoſtico. CCCLII.

Piſaeo a ſtadio doctisſimus ille ſophorum,

Menſuram plantae repperit Herculeae;

Lucia cum naſum cujusquam menſa videndo eſt,

Ingvinis extemplo conjicit inde modum.

Vel Phyſiognomon es, Lucia, vel Geometres,

Tale magiſterium ſola Matheſis habet.

v. 3. erat in MSto: *cujusque*, pro quo vel legendum: *cujusquam*; vel: *cujusque eſt m. vid.* Ad haec, totum diſtichon prius omiſit Samb. et v. 4. hoc modo corrupit: *Extemplo alterius conjicit i. m.*

* *In Gryllum.* CCCLIII.

Socratis effigiem damnavit Zopyrus olim,

Quid ſi vidisſet, pesſime Grylle, tuam?

De

v. 1. in Msto. erat: *Sopyrus.*

De corporibus Mathematicis CCCLIV.

Punctum ſit, cujus non poſſis ſumere partem.
Extento gracilis decurrat linea puncto,
Inde ſuperficiem geminato linea tractu
Efficiat, nullo pateat quae lata profundo.
Bina ſuperficies ſolidi vim corporis edat,
Quod longo, et lato dimenſum conſtat et alto,
Teſſera, ſeu cubus, ſeu quadrantale vocatum;
Quod promtum ſemper quovis conſiſtere jactu,
Sena ſuperficies, octonus et angulus ambit.

De Monade et Dyade, numeris. CCCLV.

Quod ſit prima Monas ſummae Deitatis imago,
Maſcula dividuas admittere neſcia partes,
Non numerus, verum numeri pollentis origo.

Haec

Vulg. v. 1. ſt.--ſumma. v. 3. origo eſt.

Haec Dyadem geminata creet, quam prima ſecare
Posſit, et imbellem referat, ceu femina, ſexum.

Ad Lazarum. CCCLVI.

Valde crasſus homo es, crebro mi, Lazare, dicis;
Qui te non novit, Lazare, crasſus homo eſt.

Vulg. v. 1. mihi.

Ad Iuſtinam. CCCLVII.

Mel, Iuſtina, meum, mea cara ſororcula, quare
Misſa remiſiſti, munera noſtra, tibi?
Non ideo miſi, quo te corrumpere vellem,
Sit procul a nobis hic, mea vita, furor.
Sed magis ut ſcires, quam te devotus amarem,
Vult aliquo noſci pignore caſtus amor.
Qualiter offenſam valeas penſare, requiris?
Tu mihi fac mittas, ut nec ego accipiam.

* Epi-

Vulg. v. 6. carus amor.

* *Epitaphium Nicolai Pont. Max.* CCCLVIII.

Quintum quae tegit urna Nicolaum,
Cunctarum tegit artium parentem.

De Tectis per Io. Archiep. Strigonienſem inſtauratis. CCCLIX.

In cathedra Petri, Paulo reſidente Secundo,
Tertius imperium dum Fridericus habet,
Haec inſtauravit Ioannes tecta Sacerdos,
Funditus obruerat quae prius ignis edax.
Pro quibus officiis aeternum vivat Olympo,
Sed poſtquam in terris vixerit ille diu.

* *De Aenea Pio ſummo Pont.* CCCLX.

Qui fuit Aeneas, mutato nominis uſu,
Nil aliud certe, quam Pius, eſſe poteſt.

Ad

Ad Paulum. CCCLXI.

Carminibus nostris nocet illud, Paule, notavi,
Quod non sunt Latiis edita Consulibus.
Quidvis cana facit multo pretiosius aetas,
Rebus et a longo tempore surgit honos.
At tu, si quando mea legeris; esse putato
Prisca; videbuntur sic meliora tibi

Vulg. v. 2. fiat.

* *In Rufum.* CCCLXII.

Ne scribam prohibes, et immerenti
* * * * * * * * * * * *.
Lecturos meà pejeras minores.
At nos et tua, Ruse, lectitamus.

Videntur excidisse nonnulla post versum primum.

Ad Paulum. CCCLXIII.

Cum dare non valeas quantum petit improba Laïs,
Iudice me, fruſtra, Paule, Corinthon adis.

In MSto. lemma huic epigr. praeſcriptum erat: *De Laide.*

De amatore librorum veterum. CCCLXIV.

Sunt quaedam, prope mille, puto, jam ſcripta per annos,
Docta quidem, ſed non et ſpecioſa ſatis.
Tu tamen illa magis, quam noſtra poëmata, laudas,
Hoc ſolo quod ſint anteriora meis.
5. Tanta tibi nunc eſt priſci reverentia ſecli,
Tam ſenium, canos et venerare dies!
At rerum plures, novitate placere videmus,
Non carie et putri, Bartholomaee, ſitu.
Quid pro perverſis adeo tibi moribus optem?

10. Haec

Vulg. v. 2. *Ut* pro et. v. 6. *ſenſum*, pro, ſenium.

Haec opto quamvis exitiofa parum:
Plus fapiat mufto, vetus ut tibi vappa Falerno,
Nec guftare nifi marcida poma velis.
Dormiat et tecum formofa Polyxena nunquam,
Verum Hecube, fed jam non anus, imo canis.

Vulg. v. 11. et tibi. praeterea asfutum eft huic epigrammati diftichon, quod huc minus pertinere videtur.

Fragmentum, quod fuperiori epigrammati attextum erat a Sambuco. CCCLXV.

Turris aviclarum, qua cincta paluftribus undis
Inftrepit argutis perfona pasferibus.
* * * * * * * * * * * * * *

Vulg. v. 2. *literibus*, pro *pasferibus*.

---

* *In Pindolam. CCCLXVI.*

Quid mihi, nefcio cur, arrides, Pindola, femper?
Iftud non novi qua ratione facis.

Nil unquam de te merui bene; nil tibi certe
Ante dedi, ſed nec forte deinde dabo;
Cruſtula tu nobis tamen, et diapasmata donas,
Vel ficos plena, caſtaneaſve, manu.
Saepe ultro calamum largiris, ſaepe papyrum,
Saepe mihi dicis: ſum tuus, eſto meus.
Qui reblandiri norunt, blandire Latinis,
Pindola, dedidici nondum ego barbariem.

Ad Iulium. CCCLXVII.

Scribendi ratio cum ſit, vel ſola poëtis
Gloria, vel certe maxima; ſolus is es
Qui ſcripta abſcondas. Vel, Iuli, plus ſapis unus,
Vel nihil omnino, quod mage credo, ſapis.

Vulg. v. 3. abſcondis.

Ad eundem. CCCLXVIII.

Quid tua tantum in te peccarunt carmina, Iuli?
Triſtibus in tenebris ſemper ut illa premas.

Nec

Nec levius ſerves, quam carcere quaeſtor in imo
Cuſtodit, ſi quos ultima poena manet.
Tandem ea mitte foras, aut ſi meruere necari,
Fige cruci, vel ſic perfruitura die.

* *In Pindolam.* CCCLXIX.

O ſcelus! o facinus! quare mihi ſaepe ſolebas
Pindola, blandiri, jam ſcio, jam video.
Quippe meum, pudet heu! paedicas ecce ſodalem,
Nam ſic praeceptor nominat illud opus,
Quando incurvati pueri fodit ingvine culum
Major, et obſcenis turpe tremit natibus.
Iſtud idem tu nempe mihi patrare volebas,
Hinc illae illecebrae, dona, et amicitiae!
Nil tibi nobiſcum, nil nobis, peſſime, tecum;
Iam tua ſunt etiam munera amara mihi.
Reddo datos calamos, maleſvadas reddo papyros,
Quin et, ſi poſſim poma comeſa vomam.
Vana loquor, nihil ille rubet, nihil improbus horret,

Mulcet adhuc blanda, ſed mea colla, manu.
Deſinis? an clamo; ſuccurrite! Pindola nunquam
Dat requiem! vel ſic, o ſcelerate! fugis.

---

v. 15. erat in MSto: *Deſinis, aut clamo.*

Ad Rinucium. CCCLXX.

Sunt natae tibi nubiles, Rinuci,
Moratae ſatis, et ſatis decentes.
Has tu tradere nuptui laboras,
Ac toto generos foro requiris;
Sed ſic aedibus intimis retruſas
Cuſtodis, uti Perſeos parentem
Argivus ſocer aurei Tonantis.
Non illas, miſer, ad ſacella, ſanctas
Non accedere praedicationes
Permittis, quoties pater Rubertus,
Rauca ſe crucifigit in cathedra.
Nedum viſere feſta, vel choreas,
Per convivia vel ſinis vagari,

Aut communibus interesſe ludis.
Non eſt haec via filias locandi,
O vicine pater; meo nec unquam
Hunc tu conſilio modum ſequeris.
Sed venalia mercium tuarum,
Prima fronte locabis officinae,
Imis nec penetralibus recondes.
Tali tractus ut hoſpes illecebra,
Vel nolens emat, et nec autumanti,
Securum tibi promat arrhabonem.
Omnis, judicio meo, Rinuci,
Maturae genitor viro puellae,
Mores debet habere venditoris.

Ultimo verſiculo pro, *venditoris*, liber MStus. habebat: *cuctionis*, in quo haud dubie latet ulcus. Nam τὸ *venditoris* a Sambuco eſt.

* *Ad Iulium. CCCLXXI.*

Gratum eſt, quod mea perlegenda poſcis,
Iuli, carmina; gratius ſed illud

Esſet, ſi tua mitteres vicisſim.
Nam ſunt judicio diſerta noſtro,
Nec communis habent notam monetae,
Cunctis et dubio procul placerent.
Sed tu ſic ea condis, et relegas
Intra ſcrinia, ciſtulas, locellos,
Communita feris ſere ducentis,
Ut nec ſol valeat videre, ſummo
Solus qui omnia cernit ex Olympo.
Tam ſervas vigili repoſta cura,
Quam Phoebi Scythicos aves ſmaragdos,
Quam cuſtos ſuus Inachi juvencam,
Quam mala Heſperidum, pecuſve Phryxi,
Nullo perdomitus ſopore ſerpens.
Securus potes esſe, nec rapacis
Ullas praeſtigias timere dextrae.
Non haec Autolycus, nec ipſe posſet
Furari Autolyci pater ſagacis,
Surreptor Clariae Deus pharetrae,
Titani radios, Stygi tenebras,

Qui

Qui vafro queat amovere furto.
At poſſunt tineae, poteſt teredo,
Ac mus improbus, et ſitus putreſcens.
Quare ſi ſapies, amice Iuli,
Captivos ita detinere verſus,
Parces, ut capitis reos nocentes.
In lucem magis efferes apertam.
Nolunt Pieriae latere merces,
Quas famae pretium manet perennis.
Quodſi perpetuo legi recuſes;
Multo ſimplicius nihil reponas.

Epitaphium Georgii More. CCCLXXII.

Fida jacet noſtrae tutela Georgius arcis,
Amiſſam Martis nunc ego credo manum.
Vix reducem caſtris, rapuit domus; occidit aeger,
Inter tot ſoſpes qui modo tela fuit.
I nunc, et placidae lentus confide quieti,

Cum minime ſperas, mors inopina venit.

Ille tamen pulchro fuerat per vulnera leto

Dignior; ignavos ſegnia fata decent.

Vulg. v. 6. Qua -- ſubit.

* De manco. CCCLXXIII.

Arva fodit mancus, regit et jumenta flagello;

Redde manus illi; deſidioſus erit.

In Demetrium. CCCLXXIV.

Morio Demetri, nempe intellecta pateſcit

Ars tua, deprenſo, fallere parce, dolo.

Nam ſapis, immo equidem plus quam ſapis; omnia luſtras

Tu loca, nec te usquam, lauta culina latet.

Mentiris, numos poſcis, dicteria dicis,

Qui facit haec non eſt morio, ſed nebulo.

In

v. 2. pro, *deprenſo*, in MSto. erat: *defenſo*. Samb. v. 3. *Iam*, pro, *Nam*. Vulg. v. 6. *hoc*, pro, *haec*.

In eundem. CCCLXXV.

Fingis te, miſer, esſe morionem,
Vivas ſcilicet ut labore nullo.
Nobis morio non tamen videris;
Nunquam morio taliter jocatur,
Nullus morio litigare novit.
Neſcit morio corrogare numos,
Nil non morio praeſtat exigenti,
Quicquid praecipio, ſtatim facesſit,
Quicquid porrigo, corripit libenter:
Tu ſtructae petis unctiora menſae;
Turdos, ſumina, Phaſidas, botellos;
Lambis cruſtula, devoras placentas,
Nec potas, niſi de priore muſto.
Quare morio verus eſt habendus,
Qui te cenſeat esſe moriorem.

In

Vulg. poſt v. 7. exciderat totus verſiculus 9. quem e Msto. reſtituimus. v. 11. ſagidas, pro quo repoſuimus *Phaſidas*.

* *In Crispum.* CCCLXXVI.

Nil danti tibi, Crispe, quod nihil do,
Dicis me minus esse liberalem.
Qui nil dantibus ipse multa donat,
Non est, ut puto, Crispe, liberalis,
Quidnam est ergo? rogas? furens et excors.

* *In eundem.* CCCLXXVII.

Das mihi, Crispe, nihil; vis dem tibi multa petenti,
Os tibi deest; deerit cor mihi, si faciam.

In eundem. CCCLXXVIII.

Vina rogas; dabimus, si tu des, Crispe, caballum
Nam tua belligerum, vix capit herba, pecus.
Da gratis, inquis; nescis, puto, lege caveri,
Ut curatorem prodigus accipiat.

Michaëli Vitézio nepoti. CCCLXXIX.

Misisti clypeum nobis, si miseris hastam,
Martis ero, Phoebi qui modo miles eram.

* *Fragmentum alicujus epigrammatis sine lemmate. CCCLXXX.*

Invia saxa prius, Matthias pervia fecit,
Haec erat Herculea, gloria digna, manu.

* *Ian. Pannonius ad Aeneam Silvium. CCCLXXXI.*

Si Bilblitani tibi sunt epigrammata vatis,
Protinus huc ad nos, fac precor, illa volent.
Nonne vides quantos moveat Fortuna tumultus?
Nec sperare sinat nos meliora timor?
Tempore sollicito tragicos deponere luctus
Convenit, et levibus pellere moesta jocis.

* *Respon-*

* *Responsio Aeneae Silvii ad Ianum Pannonium.* CCCLXXXII.

Venisti Latia madidus Graecaque Minerua,
Ut qui Guarini discipulum referas.
Dulce canis, vena stillant de divite versus,
Doctiloqui titulos vatis habere potes.
Non est cur tecum temptare in carmina vires
Conemur, bello non bona dextra seni est.
Dum juvenes fuimus, Pegasaeo e fonte liquores
Hausimus, et nullum scribere pondus erat.
Nunc oblita mihi sunt carmina, friguit aetas,
Atque sepulcralis unica cura mihi est.
Quae Bilblitani quaesisti epigrammata vatis,
Ad te se celeri proripuere gradu.
Namque liber cum te Latiis didicisset ab oris

Adven-

v. 11. pro *Bilblitani*, in MSto. est: *Liblitani.* Idem obtinet in superiore epigr. v. 1. Ad haec lemma hujus epigr. erat: *Carmina Pii Papae Secundi, qui prius Aeneas Silvius dicebatur, ad Io. Pannonium Episcopum.*

Adventum; ſubito profugus hinc abiit.
Teque petens dixit: Docti peto tecta Ioannis,
Hic meus hoſpes erit, hic mea dicta leget.
At ſi quae currant nunc tempora conſpicis, et ſpes
Afflictas; non nunc ludere, flere licet.
Non bene verſiculos, ſacrata nocte, petulcos,
Inviſas; Chriſti ſumere dicta decet.
Cedant e manibus dulces, tua cura, poëtae,
Et divino animum codice paſce, Vale.

* *Io. Pannonii Reſponſio.* CCCLXXXIII.

Cauſaris ſenium, ne mecum carmine certes,
Sed plus eloquio pectora cana valent.
Aptior eſt tirone rudi veteranus in armis,
Certius et vitulo taurus aratra movet.
Nos petimus, tu ſumma tenes; ſpes lubrica nobis
Spondet adhuc, quod jam res dedit ipſa tibi.
Nec dum Pegaſeis, te Cynthius arcet ab undis,
Non vox refrixit, non lyra muta ſilet.

Ergo

Ergo cave, ne qua cupis excufatus haberi,
Accufes illa, te ratione magis.
Quod Bilblitani rogitavi epigrammata vatis,
Sufpecta eft, video, noftra juventa tibi.
Crede, precor, melius! relegi non improba posfunt,
Lafcivos, oculo praetereunte, modos.
Ille quidem gresfu profugo mea caftra petivit,
Sic tamen ut redeat cum revocabit herus.

v. 11. in MSto. Liblitani.

* *Ejusdem ad eundem.* CCCLXXXIV.

Define, quaefo, meas, Aenea, pofcere, Mufas,
Auribus et dignas esfe putare tuis.
Non radios Phoebus Lunari fumit ab umbra,
Nec petit a rivis, maxima Tethys aquas.
Adde quod Italiae veni novus hofpes ab oris,

Nec,

v. 1. pro, *Mufas*, fcripfisfe Ianum puto: *nugas*.

Nec, si quod lusi, me comitatur opus.

Ipse tuos potius nobis transmitte libellos,

Nec dubites, censor non ero, lector ero.

* *Epitaphium Andreolae, matris Nicolai V. P. R. CCCLXXXV.*

Matronale decus, et moribus inclyta sanctis,

Andreola, obscuro cubat hic celebrata sub antro,

Quae gemino, fudit Christo, duo sidera partu;

Retia Nicolaum moderantem mystica Petri,

5. Cardine Bononiae sacratum jure Philippum.

. Hanc igitur natis illustrem mundus adoret.

Hoc epigramma extat in MS:o. codice chartaceo Mediolanensis Bibliothecae Ambrosianae, signato litera R. sub numero 93. nos autem accepimus a viro doctissimo, *D. Caraides.*

* *Aliud in eandem. CCCLXXXVI.*

Cui Deus immensi patiens consortia regni,

Et coeli et rerum mundi permisit habenas,

Post

Pontifici ſummo, Nicolao ex ordine Quinto:
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *
Andreolae hunc ſacro genuerunt viſcera partu.
Adde et puniceo redimitum ſacra galero
Tempora, Bononiae ſervantem jura Philippum.
Quae defuncta, brevi jacet hoc contenta ſepulcro.
Cui probitas morum, nec ſancta modeſtia vitae,
Inclyta nec ſoboles produxit longius annos.
At praeluſtre ſuum fecere in ſecula nomen,
Mens quoque ſidereas, qua venerat, ivit ad arces.

Hoc quoque epigramma, pucrilis ingenii foetus, in praedicto codice reperitur.

Finis Epigrammatum, quae libri MSti. auctoritate nituntur.

IANI

IANI PANNONII

EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

(*Hic Liber ea complectitur, quae in MSto. non extant, sed vel in editione Frobeniana, vel Sambucina reperiuntur.*)

Epitaphium Barbarae matris suae. I.

Nobilior vitae meritis quam praefule nato,
Hac fub marmorea, Barbara, mole jacet.
Dum licuit, ftirpis fovit pia cura parentem;
Illi dulce fuit fofpite prole mori.
5. Nunc pro fe vicibus Numen coelefte precantur,
Filius in terris, mater in arce poli.

Epitaphium clariſſimae matronae, Dominae Andreolae, Nicolai V. Pont. Romani et Philippi Cardinalis Bononienſis matris. II.

Cujus puniceum proles gerit una galerum,
Altera Romanae praeſidet eccleſiae,
Andreola hoc ſacro recubat concluſa ſepulcro;
Membra ſolum repetunt, ſpiritus aſtra tenet.
Poſtera venturae vix credent ſecula ſamae,
Tam brevis ut teneat viſcera tanta locus.

Epitaphium in Bartholomaeum Montagnam phyſicum. III.

Qui fueras medicae doctor celeberrimus artis,
Hoc ſitus in tumulo, Bartholomaee, jaces.
Credo te Stygias, mundo invidisſe, ſorores,
Miratas raros Tartara ad ima trahi.
Quippe incredibiles poteras depellere morbos,

Et

Et vitae, exanimes reddere paene viros.
At licet extinctus ſis corpore, nomine vivis;
Nam longe Auſonio clarus in orbe viges.

Epitaphium in Hectorem Sacratum. IV.

Sacratae hoc tumulo gentis decus occubat Hector,
Cui virtus claro ſangvine major erat.
Hunc pietas Superis, probitas mortalibus, olim
Principibus gratum fecerat alma fides.
Tunc etiam aethereis, animam cum redderet, aſtris,
Rodigio praeſes jura verenda dabat.
Extinctum cuncti flerunt; nam comis in omnes,
Iuſtitiae ſalva ſed gravitate, fuit.

Abiens valere jubet ſanctos reges, Waradini. V.

Omnis ſub nive dum latet profunda
Tellus, et foliis modo ſuperbum
Canae dum nemus ingravant pruinae,
Pulchrum linquere Chryſium jubemur,

Ac longe dominum volare ad Istrum.
Quam primum, o comites, viam voremus.
Non nos flumina, nec tenent paludes,
Totis stat gelidum gelu lacunis.
Qua nuper timidam subegit alnum,
Nunc audax pede contumelioso,
Insultat rigidis colonus undis.
Quam primum, o comites, viam voremus.
Non tam gurgite molliter secundo,
Lembus remigio fugit volucri,
Nec quando Zephyrus levi suburgens,
Crispum flamine purpuravit aequor,
Quam manni rapiunt traham volantem,
Quam primum, o comites, viam voremus.
Ergo vos calidi, valete fontes,
Quos non sulfurei gravant odores,
Sed mixtum nitidis alumen undis,
Visum luminibus salubriorem,

Offen-

v. 8. pro; *gelidum* forte leg. *rigidum*, vel, *nitidum*.

Offenfa fine narium miniftrat.
Quam primum, o comites, viam voremus.
Ac tu, bibliotheca, jam valeto,
Tot claris veterum referta libris,
Quam Phoebus Patara colit relicta,
Nec plus Caftalios amant recesfus,
Vatum Numina, Mnemonis puellae.
Quam primum, o comites, viam voremus.
Aurati pariter valete reges,
Quos nec facrilegus perusfit ignis,
Dirae nec tetigit fragor ruinae,
Flammis cum dominantibus per arcem,
Obfcura latuit polus favilla;
Quam primum, o comites, viam voremus.
At tu, qui rutilis eques fub armis
Dextra belligeram levas fecurim,
Cujus fplendida marmorum columnis,
Sudarunt liquidum fepulcra nectar,
Noftrum rite favens iter fecunda.
Quam primum, o comites, viam voremus.

Hymnus in Muſas, Apollinem, Iovemque, ab Homero puero editus, Latinus factus Iano Pannonio interprete. Ad Ludovicum Cyprium. VI.

Vos o Theſpiades, et carminis auctor Apollo,
Et tu ſtelliferi pater ac moderator Olympi,
Ardor ineſt veſtras nobis exponere laudes.
Vos o Theſpiades, et carminis auctor Apollo,
Orbe viros toto vocali carmine claros,
Redditis, et dulces cithara datis edere cantus.
At tu, magne parens, radiantis rector Olympi,
Purpureos ornas pulchro diademate reges,
Imperiale decus, et ſceptra nitentia donans.
Ille tamen cunctis felicior, ille beatus,
Scilicet, et merito fortunatisſimus ille eſt,
Dulcia cui doctae, tribuerunt carmina, Muſae,
Cui dedit ipſe ſuum, jaculator Apollo, furorem.
Illi nectareus ſacro de pectore ſermo,

Sva-

Svavior et flavi manat dulcedine mellis;
De Iove nunc igitur genitae salvete sorores!

Ad Ludovicum Cyprium, de Hymno. VII.

Nos tibi versiculos, Lodovice, dicavimus istos,
O decus, et secli, gloria magna, tui!
Hos ego de sacro converti nuper Homero,
Qui tibi mansuri pignus amoris erunt.

Pro pace. VIII.

O pater omnipotens, qui coelum et sidera solus,
Aeterna ditione premis; desige potentes
His miseris oculos terris, quas Marte feroci,
Vastari cernis, longoque perire duello.
Et nobis tandem, tribuas pater optime pacem,
Quae mala cuncta procul, mortesque repellit acerbas.

Ad Galeottum pro dono quodam. IX.

Pectora ſi magnum, redolerent noſtra, Maronem,
Divinusque meo ſub corde lateret Homerus,
Et mea centenis reſonarent guttura lingvis;
Vix, Galeotte, tibi meritas perſolvere grates,
Munere pro tali facundia noſtra valeret.
Tot tibi ſint igitur grates, quot litus harenas,
Tmolus habet vites; maturas Gargara meſſes,
Dulcis Hymettus apes, vaſtas Hyrcania tigres,
Quot gruibus Strymon, niveis palus Aſia cygnis,
Glandibus Epirus, quot abundat frondibus Ide.
Quot fluvii piſces, quot ſidera ſtellifer axis,
Terra feras nutrit, volucres agitabilis aër.
Quot ſegetes aeſtas, vernalia tempora flores,
Quot pater Autumnus dulces in vite racemos,
Humentes pluvias quot bruma noviſſima gignit,
Irrigui pictis quot abundant floribus horti,

Ar-

Arboribus montes, maturis frugibus agri.

Ergo vale, et noſtri reminiſcere ſemper amoris.

Agit gratias Sigismundo Mazono. X.

Ocyus ite Deae, celeres, precor, ite Camenae,

  Corripe dulciſonam, pulcher Apollo, lyram;

Et tot Mazono, pro munere, reddite grates,

  Quot tenues umbras regia Ditis habet.

Quot flores pratis, quot ſunt ſuper arbore frondes,

  Quot fulgent rapido, ſidera fixa polo.

Aequoreum flavis, quot abundat litus, harenis,

  Quot gignit rabidas, terra Libyſſa, feras,

Et quot in Adriaco verſantur gurgite piſces,

  Quot gerit horrentes, Pannonis urſa, pilos.

Vulg. v. 8 rapidas.

Pro convivio, ad Philippum Bibium. XI.

Quas tibi pro tanto referemus munere grates?

  Quae dabimus meritis, praemia digna, tuis?

Tu decus es Bibiae, lumenque, propaginis ingens,
Tu patriam, inſigni laude, ſub aſtra feres.
Urbs Genuae ſemper, tanto exultabit alumno,
Et quondam Idaliae, Cypros amata, Deae.
Rerum opifex ſummus, tibi det quaecunque rogabis,
Et tribuat factis, praemia digna, tuis.

Ad Guarinum Veronenſem. XII.

Te precor, o noſtri, decus et nova gloria, ſecli,
Qui calles lingvas, docte Guarine, duas,
Quo jam tot fuimus ſub praeceptore per annos;
Hoſpes ut in coena nunc meus esſe velis.
Quam dedit Evandro laudem Tirynthius hoſpes,
Hanc dabis ipſe mihi, ſi meus hoſpes eris.

Reſponſio Guarini Veronenſis. XIII.

Convenere pares paribus, convenit et aetas
Omnis, ero melius cum ſenibus ſenior.
Maturos refugit nutus urbana juventus,

Et

Et jocus et ludus cum ſeniore tepent.
Quare agite o juvenes, riſus et amoena vocate,
Ne turbent faciles ſeria dura jocos.

Refellit Guarinicam excuſationem. XIV.

Seria ſunt, quae dura vocas, gratisſima nobis,
Nec poterunt noſtris, illa nocere, jocis.
Immo tua haud parvum, menſae praeſentia noſtrae,
Splendorem, poterit, clare Guarine, dare.
Frenaque ne noſtro nimium ſint libera ludo,
Neve ſuum, excedant gaudia noſtra, modum,
Illa auguſta tui faciet reverentia vultus,
Et gravitas, magno dignaque forma Deo.
Nec tamen inter nos et te juvenilia quaedam,
Quanquam ſis canus, dicere turpe puta.
Quippe nec in feris, (ex te hoc audivimus,) annis,
Horruit urbanos, Tullius ipſe, ſales.
Socrate quis gravior fuit, aut quis ſanctior unquam?
Luſit cum pueris ſaepius ipſe ſuis.

Isſe

Isſe datur quondam, (non eſt ea fabula falſa,)
Stoïcus ad Florae ſacra jocoſa Cato.
Tantorum exemplis igitur moveare virorum,
Et quae ſaepe probas, ne fuge facta ſequi.
Ne fuge, ſed quamvis cum diſpare, jungere turba,
Nec mihi reſcribas, ſed magis ipſe veni.

Ianus Manueli. XV.

Accipe quaeſo tui munuſcula parva Ioannis,
Exhilares frontem, dum capis, ipſe tuam.
Ante tamen nobis memor eſto ignoſcere, quod non
Redduntur meritis, praemia digna, tuis.

Ad Antoniolum Placidum. XVI.

Marſupium numo, numus cuſtode crumena
Indiget; hoc etiam munera noſtra probant.

Ad

Ad Ianum Pannonium, Quinque ecclesiarum Episcopum Porcelius poëta. XVII.

Sume, pater divine, tui munuscula vatis,
Quae veniunt patriis, aurea mala, locis.
Gratus odos, dulcisque sapor, non aspera tactu,
Dives Atlantiadum qualia ramus habet.
Munera sis liceat majori dignus, et auro,
Cum venit ex animo gratia, digna Iove est.
Ture vaporatas si laeti incendimus aras,
Contentos parvo credimus esse Deos.
Ergo tuum vatem, munusque amplectere toto
Pectore, mens magna est, munera parva licet.

Ianus P. Porcelio poëtae. XVIII.

Misisti nobis et mala et carmina vates,
Nec factum hoc casu, sed ratione, reor.
Totum me duplici voluisti pascere dono,
Hic solet esse animi, corporis ille cibus.

Quam

Quam numeri oblectant mentem, tam poma palatum,
Ista sapore placent, illa lepore juvant.
Mala aurum superant, et vincunt carmina gemmas,
Aurum da et gemmas, deteriora dabis.
Poma nec Alcinous misisset talia nobis,
Carmina nec Clarius, tam bene culta, Deus.

Cuidam Petro. XIX.

Ante revertetur tepidos Hyperion ad ortus,
Excipiet stabilem, Tethyos unda polum,
Riphaeis nivibus canescere desinet orbis,
Nullus in Oceani gurgite piscis erit.
Mella ferent rupes, quercus producet aristas,
Quam meus in Petrum diminuatur amor.

Vulg. v. 4. Oceano. v. 5. pro, *Mella* forte leg. *Mala.*

Cuidam ardua ſvadenti. XX.

Quae mihi miſiſti Clarium redolentia vatem,
Accepi placido, carmina docta, ſinu.
In quibus altarum, memorans praeconia, laudum,
Siderei, tollis me ſuper aſtra, poli,
Ac me ſangvineas, hortaris dicere, pugnas,
Et tot magnanimûm, ſplendida geſta, ducum.
Si mihi Pierium, praeſtabit Apollo, favorem,
Parebo monitis, clare poëta, tuis.
Sed mihi Caſtalium nec ſpirant pectora nectar,
Nec ſunt Aonio, labra rigata, lacu.
Non mihi Pegaſeae, veniunt in carmina, vires,
Ut poſſim tantos, edere voce, duces.
Non verſo tantum tenero ſub pectore robur,
Tanta negant humeri, pondera ferre, mei.
Poſtmodo maturis, fuero cum doctior, annis,

Si

In editione Sambuci, v. 6. magnorum. v. 7. praeſtaret. v. 8. Parerem. v. 12. *viros*, pro, *duces*.

Si potero monitus, forte fubibo, tuos,
Interea fixum, teneas fub corde, Ioannem,
Digna Maronea carmina voce canens.

In edit. Samb. v. 18. *Qui canis Andino, carmina digna, tuba.* Praeterea asfcriptus erat huic epigr. numerus MCCCCLXIX.

Chriftophoro Crifpo. XXI.

Scribere, Crifpe, jubes regis me praelia noftri;
Nec non magnanimi, fortia facta, patris.
Si fuperent vires, nec defint otia nobis,
Exequar hortatus forfan, amice, tuos.
Sed funt non culicis memorandi voce leones,
Nec bene grandifonas, cantat avena, tubas.
Tu, cui cura minor, fimul et facundia major,
Cur aliis mandas quod magis ipfe potes?

Apud Sambucum v. 5. At non funt culicis.

Epi-

Epitaphium in Andream Marionum fophiftam. XXII.

Quisquis ad hoc rigidum, flectis tua lumina, faxum,
Perlege flebilibus, carmina fcripta, notis.
Andreas parva, jacet hac Marionus, in urna,
Qui doctor Logicae maximus artis erat.
Vincere fed duram, nequiere fophismata, mortem,
Quis fertur reliquos exuperasfe viros.
Nil tibi, quin caderes, juvenilis profuit aetas,
Nec genus et mores, ingeniumve capax.

Epitaphium Homeri. XXIII.

Mole fub hac fitus eft Heroum orator Homerus,
Qui tranfis, dicas: fumme poëta vale.

Vulg. v. 1. Molle. Eodem v. 1. pro, *orator*, legendum forte: *ornator*.

Non extant haec duo epigrammata, de Mariono et Homero, in ulla editione, Sambucina vetuftiore; multo minus in MSto; eoque genuina esfe dubitare quis posfet.

In Epiphaniam. XXIV.

Virginis partu Deus ortus infans,
Pauper in foeno cubat, hunc aſellus
Bosque cognoſcit Dominum; reſultant
Aſtra triumphis.
Ecce paſtores, ovibus relictis,
Convolant Bethlem, videant ut ortum
Principem mundi; properant et acti
Sidere reges.
Quos et Herodes rogat, ut reverſi,
Nuntient, qua ſub regione Chriſtum
Viderint, ut ſic veniens adoret
Illius aras.
At Magi tandem, puero reperto,
Procidunt proni, poſitis tiaris,
Dona deponunt, teneris ferentes,
Oſcula plantis.

Sufcipit ridens puer hic, parentem
Gaudio plenam, lacrymis et inde
Geftit, at juftus capit ille fanctus
Munera Iofeph.

Aft iter docti melius, fub alta
Nocte felices redeunt tyranni,
Ad lares caftos, referuntque laudes,
Dulcis Iefu.

Cautus Herodes pueros trucidat,
Chriftus Aegyptum fugit in propinquam,
Matre cum fancta, madet innocentum
Sangvine tellus.

Gloriam patri chorus angelorum

Con-

---

v. 17. pro *Sufcipit*, legendum forte: *Sufpicit*, et pro, *hic*, *hinc*. Ceterum tres hi verfus corrupti funt. Nam quomodo *lacrymis geftire ridens infans* poteft? Cui verifimile videbitur, Ianum fcripfisfe: *juftus capit ille fanctus*, ? In mendo cubant haec omnia. Ceterum totum hoc carmen non Iani, fed barbari nefcio cujus rudem foetum esfe facile fentiet, qui modo nafo voluerit uti. Nec MStum habet, nec ullae praeter Sambucinam editiones, quae ante illam prodierunt.

30. Concinat, nato, pariterque ſancto
Spiritu, qui ſunt Deus ille noſter,
Trinus et unus.

Finis Epigrammatum
Iani Pannonii.

APPEN-

APPENDIX CARMINUM

IANI PANNONII.

(In qua continentur duae Elegiae Baptistae Guarini fil.; nec non Epistola ad Fontium, Iano auctori falso adhuc tributa; denique Epitaphia quaedam regis Matthiae, a Vesp. Strozza, Marullo aliisque consignata, quae cum Iani versibus edi solent.)

Baptista Guarinus, Guarini fil. ad Ianum Pannonium, Quinque-ecclesiensem Episcopum. I.

Non ita muneribus, praesul doctissime, laetor,
Iudicio ut clarum me juvat esse tuo.
Iane pater, cujus meritas percurrere laudes,
Non valet ingenii, vena pusilla, mei;

Tu Latiae, Grajaeque simul pars optima, lingvae;
Te cuncti priscis dicimus esse parem.
Pallada crediderim, Phoebumque novemque sorores,
Thraciaque armifero qui terit arva pede,
Ante Iovem tales quondam fudisse precatus,
Dum caneret vates, bella futura, Themis;
Contra Turcarum populos, regemque superbum,
Ut te pontificem secula nostra darent,
Qui saevo regeres hosti contermina regna,
Et forti, premeres arma inimica, manu.
Facundus Latias posses legatus ad urbes
Dicere pro Christi, verba diserta, grege.
Credibile est igitur patrem mandasse supremum,
Ortus Gradivo Mercurioque tuos.
Nectare te parvum dulces aluere Camenae,
Nutricesque tulit docta Minerva manus.
Firmior hinc aetas magno est commissa Guarino,
Ornandumque bonis moribus ingenium.
Quippe ubi terra ferax docto cultore movetur,
Exoritur cumulo fertiliore seges.

Nec

Nec te pulchra minus Ferraria gaudet alumno,
Quam laeta eſt ortu, Pannonis ora, tuo.
Sic te noſtra bonum viderunt tempora vatem,
Quales in coelum ſecla priora ferunt.
Nam ſeu clarorum, ſcribis connubia, regum,
Funera ſeu ploras, ſeu fera bella canis,
Seu praeceptorem laudat tua Muſa Guarinum,
Seu de maternis, increpat aſtra, rogis,
Seu queritur morbos, celebrat ſeu Numina fontis,
Seu canit in medio, ſidera viſa, die;
Altiſono quicquid memorandum carmine ſumis,
Noſcimus eloquii, flumina larga, tui.
Hinc rex Matthias, Turcarum maximus horror,
Pannoniae clarum, Marte togaque, decus,
Praeſide te regni non parva negotia tractat,
Sive domi fuerint, ſive gerenda foris.
Hinc te Pannoniae plebes miratur, amatque,
Nobilium hinc procerum turba verenda colit.
Hinc urbs pontificem te, Quinqueccleſia cepit,
Hinc gaudet rebus, ſacra caterva, ſuis.

Cum te consilio magnis ductoribus aeques,
Et lingva promtus bella manuque juves.
Tales sancta duces votis ecclesia poscit,
Protegat ut miseros, debita cura, greges.
Is mihi bellorum damno fuit usus in isto,
Quod vultus nostra conspicor urbe tuos.
Namque ita gaudentes hilari te vidimus ore,
Ut solet aethereo plaudere Creta Iovi.
Ergo minus dono, quam doni auctore movemur,
Dantis honos pretium munere majus habet.
Cornipede in niveo cum me obvia turba videbit,
Dicat delicias pectoris esse tui.
Verum opis haud nostrae est, dignas, pater optime, grates,
Solvere, nec meritis, praemia justa, tuis.
Mens tibi mercedem virtutis conscia reddat,
Et quae respiciunt, Numina sancta, pios.
Illa tibi ad patrios salvum remeare penates,
Hosteque de tumido gaudia longa ferant!

Ad

Ad Ianum Pannonium, Quinquecclesiensem Episcopum, Baptista Guarinus, Guarini filius. II.

Non minus antiquis, praesul venerande, poëtis,
Iane, decus vitae, praesidiumque, meae,
Qui patrium, claris ornas virtutibus, Istrum,
Doctrina, ingenio, viribus, eloquio.
Quando erit illa dies, qua tecum visere possim,
Litora saxosae proxima Dalmatiae?
Illyricumque latus, Dravus quas irrigat oras,
Et glaciem gelidi cernere Danubii?
Et castella jugis, alte constructa, nivosis,
Martiaque algentis moenia Pannoniae?
Durum iter est fateor longos perferre labores,
Per pelagus, silvas, flumina, saxa, feras.
Qua fera setosis incultisque horrida barbis,
Vocibus occurrat dissona turba meis.
Omnia sed tecum vivendi optata voluptas,
Atque incredibilis, lenia reddet, amor.

Tecum ego non dubitem Syrtes intrare vadosas,
Et loca quae nimius torret adusta vapor.
Tecum ausim pedibus mediam penetrare Charybdin,
Cyaneasque vagas, navifragosque canes.
O ego ter felix, si, te monstrante, videbo,
Qua patet asstrictis orbita fluminibus.
Qua conjuratus deduxerit agmina Dacus,
Quae Scytha non stabilis, quae colit arva Getes.
Per quos intonsus discurrit Sarmata campos,
Et quibus angusti, sunt sua plaustra, Lares.
Quae via Riphaeos, alto sub vertice, montes
Asspicit; Euxini qua fluit unda maris.
Atque Tomitanae qua sint confinia gentis,
Nasonis nostri cognita terra malis.
Discam etiam Augustus, quae vicerit oppida, Caesar,
Quae fuerint Latiis, sangvinolenta, viris.
Fervida Turcarum rabies, quas vicerit urbes,
Quos dederit populos, gens truculenta, neci.
Qui desolati saevis populatibus agri,
Atque unde ingenti, praeda sit acta, manu.

Si

Si te forte pudor tua dicere gesta vetabit,
Non erit hic magnus, noscere cuncta, labor;
Cum valeant claris, dudum vulgata, triumphis,
Illa vel ignavi, facta referre, senes;
Quam longas hyemes, et quantos saepe calores,
Pertuleris, durae tempore militiae.
Quae vallata tuo fuerint, quae diruta ductu,
Quae defensa tuis, oppida, consiliis.
Quam rapido cautum cursu praeveneris hostem,
Difficilesque nova feceris arte vias.
Ut Maomethea, dederint tibi terga, cohortes,
Non ausae populi, tela videre, tui.
Agmina quae Stygio, fugientia miseris, Orco,
Aut ferro, aut altis obruta gurgitibus.
Haec pro Virgineo, gessisti praelia, Christo,
Hoc habuit sanctae relligionis amor.
Nec minus asspiciam, quas praestant otia sedes,
Hic, ubi stat docti, sacra caterva, chori.
Hic, ubi vel legitas priscorum carmina vatum,
Vel nova venturis scripta legenda canis.

Tristia

Tristia Maeonio celebrans nunc praelia versu,
Nunc referens claudo, mitia facta, pede.
Hic, ubi Smyrnaeas, solitus percurrere chartas,
Et gelidis quicquid vallibus Ascra canit.
Lucida sidereo, quae sint animalia, coelo,
Quae ventum aut pluvias praevia signa ferant.
Quicquid Sicania, pastor modulatur, avena,
Quicquid Aristophanes scribit, et Euripides.
Quid tumido fingit stultae reus ore senectae,
Et quis Olympiacis, scandit in astra, rotis.
Et, quos errores, acies quas Mantua narrat,
Et silvis pariter cognita et agricolis.
In nova quae fuerint mutatae corpora formae,
Quos notet in fastis, Martia Roma, dies.
Postquam legisti quae dat praecepta Cupido,
Discis quae tanti, sit medicina, mali.
Gramina quae pandat Macer, et quid Musa Catulli,
Quid genio Plautus nobilis et salibus.
Qua Poenus soccos expresserit arte Menandri,
Quid ludant Elegi, turba faceta, chori.

Car-

Carmina quos celebrent ſidibus Venuſina canoris,
Qui prima, rapiant vellera fulva, rate.
Quo ſonitu juvenis civilia bella tonarat,
Laudanda juſſus ſeditione mori.
Corduba quid memoret Grajos imitata cothurnos,
Qua fera Papinius concinat arma tuba.
Mordacisque jocos, et ſalſa epigrammata Marci,
Quae cantet Latius, Punica bella, ſenex.
Quicquid Pierides mollis ſonuere Canopi,
Quos laniet Satyris, Muſa Latina, ſuis.
Perſpicis illuſtres vitas regumque ducumque,
Quas et Plutarchus tradit et Aemilius.
Nunc arguta gravis Tranquilli ſcripta revolvis,
Nunc avide primi Caeſaris acta vides.
Lactea quam currant Patavinis flumina chartis,
Miranda Criſpus quam brevitate juvet.
Iuſtinus quanta dulcedine permeet orbem,
Librorum numero par, Troge magne, tuo.
Et quamcunque dedit lingvis Latialibus artem,
Arpinas, cunctis altior ingeniis.

Nec

Nec documenta latent quae rhetor Cantaber, aut quas,
Dant Senecae morum, scripta diserta, vias.
Non te divini fugiunt monumenta Platonis,
Aut docti largum flumen Aristotelis.
Non, quicquid dictat perplexa Academia veri,
Porticus aut rigidum Stoïca quicquid habet.
Non, quisquis radio terras metitur et astra,
Aut rerum causas quaerit et ingenia.
Non te pontificum, non te civilia jura,
Scitaque divini non latuere fori.
Noscis et antiqui numerosa volumina Mosis,
Qui primi terras incoluere viri,
Qui sacri vates mundo cecinere futura,
Quique Palaestinis, regna habuere, locis.
Terrea quae svetae venerari Numina gentes,
Quos Deus imperiis, egit in arma, suis.
Perfida quam saevos passa est Iudaea tyrannos,
Quam saepe est meritis, obruta suppliciis.
Nec tantum haec legitas, verum hinc praecepta requiris,
Ut vitae, constet formula certa, tuae.

For-

Fortunatus ero, ſi quando ea venerit hora,
Qua fruar hospitiis, optime Iane, tuis.
Et tecum inſomnes valeam perducere noctes,
Et tecum longos continuare dies.
Interea memori, ſi te non, pectore ſervem,
Idem etiam posſim non memor esſe mei.

Epitaphium Iani Pannonii Quinqueccleſienſis Episcopi, per Baptistam Guarinum, Guarini filium. III.

Pannoniae decus, et noſtri, lux maxima, ſecli,
Hic ſitus es cunctis, Iane gemende, bonis.
Te nemus Aonium, laceris, te Muſa, capillis,
Te poſita moeſtus flevit Apollo lyra.

Ad Bartholomaeum Fontium.

(In editione Sambuci lemma hujus Elegiae eſt: *Bartholomaeo Fontio reſpondet Florentiae Ian. Pan.* Eſt haec Elegia ſic ſatis culta, docta et elaborata, ſed quibusdam in locis usque eo depravata, ut omnis ſpes emendationis interciſa posſit videri. Ceterum, quemvis potius quam Ianum Pannonium hujus epistolae ſcriptorem fuiſſe, id vero his

his argumentis omni exceptione majoribus conficiemus: (I.) Satis conftat, Ianum Pannonium A. 1463. Episcopum jam in Hungaria egisfe, et anno tandem 1472. a vita discesfisfe. Fieri ergo minime potuit, ut poft annum 1463. Florentiae ftudiis operam navarit, doctores artium ibidem audierit. Sed et illud aeque caret dubio, auctorem hujus Elegiae, Florentiae didicisfe poft annum illum 1463. Certum enim ratumque eft, eum, Laurentio Medice, Petri Medicis filio, Principe, hos verfus compofuisfe. Sic enim poëta hic, verfu hujus Elegiae 29. fq. loquitur: *Temperet ut cives tanta Laurentius arte, Stelligeros quanta, Iupiter ipfe polos*, quae de Florentiae Principe Laurentio tunc vivo accipienda esfe, evidentisfimum eft. Iam vero latere poteft nemini, Cosmum I. obiisfe A. 1464. eodemque tempore fuccesfisfe filium ejus Petrum Medicem, qui decesfit A. 1472. quo anno filius ejus Laurentius Medices fuccesfit, et reip. Florentinae praefuit usque ad A. 1492. Cum itaque fcripta fit haec Elegia vivo et Principe Laurentio Medice, Petri filio, Cosmi magni nepote; fequitur, ut ftatuamus, fcriptam fuisfe intra annos 1472 et 1492. Atqui Ianus Pannonius diem obiit A. 1472. quo anno Laurentius Princeps factus. Ianus ergo nofter, hanc epistolam fcribere non potuit. (II.) Deinde in hoc carmine v. 31. fq. dicitur, Volaterranos a Florentinis fubactos fuisfe, qui defciverant, ob alumen, a Florentinis: *Ut tumidum conata jugo fubducere collum, Protendit victas, jam Volaterra, manus.* Atqui ipfo Raphaële Volaterrano et Leandro Alberto teftibus, contigit hoc, A. 1471. Quare Ian. Pannonius fcribere ifta Florentiae non potuit. (III.) Porro v. 47. hujus Elegiae dicitur: *Territus effugit patriis Detifalvus ab oris, Nunc terit in longa, tempora pauperie.* Atqui vero hoc factum A. 1466 tefte Machiavello in Hift. Florentina, quo anno Ianus in Hungaria jam pridem agebat. (IV.) Memorat haec Elegia v. 149. *Matthaeum Francum*, quem ex Politiani Epistola 12. Lib. XI. cognofcimus fub Laurenrio Medice et ejus filio Petro, Florentiae habitasfe. (V.) Denique Michlotius v. 229. memoratus, fuit

Can-

Cancellarius sive scriba Laurentii Medicis circa A. 1474. ut ex epistola 589. Cardinalis Papiensis, et ex epistolis 5. et 6. Lib. X. Politiani. A. 1477. scriptis constat. (VI) Accedit, quod v. 33 sq. hujus carminis dicitur: *Ut modo Palladiae, Pisis cedetis Athenae, Otiaque antiquae, cet.* quod pariliter post mortem Iani factum. Nam illa schola apud Pisam, ab eodem Principe Laurentio Medice fuit instituta. auctor Machiavellus Verum sexcenta alia in medium proferre possemus, si foret opus. Sic itaque pro certo habendum, hujus Elegiae conditorem longe alium, atque Ianum Pannonium extitisse; omniaque illa quae Norbertus Conradi, et hunc secutus Cl. Horányius in vita Iani describenda huic Elegiae superstruxerunt; cujusmodi sunt, quod Ianus Andronicum philosophiae Peripateticae, Marsilium vero Ficinum, Platonicae doctorem habuerit, et hunc Marsilium ingentem appellarit, et quae similia ex hac Elegia deprompta Iano tribuuntur, omnia inquam liquido falsa esse constat. Quodsi tandem nostram quis conjectutam de scriptore hujus Elegiae nosse velit, sciat nobis illam sedere opinionem, Elegiam hanc ab Angelo Politiano conscriptam et Fontio missam fuisse; Sambucum autem, carmina Iani dispersa in Italia colligentem, forte incidisse in hanc quoque Elegiam, quae inscripta hoc modo esset: *Barth. Fontio An. P.* Hinc existimasse Sambucum, illas literas non satis diligenter ab se consideratas: *An. P.* Iani Pannonii nomen indicare, itaque deceptum inter carmina Pannonii temere retulisse. Neque facile conjectura haec nostra vocari in dubium poterit ab eo, qui Politiani carmina diligenter legisset; tanta locutionum Politiani propriarum similitudo passim hac in Elegia deprehenditur. Ut jam taceamus, hominum eidem Politiano familiarissimorum mentionem in hoc carmine fieri, cujus generis sunt, Christoph Landinus, Xandra sive Alexandra Scalae filia doctissima, Ugolinus Verinus, Matthaeus Franeus, Marsilius Ficinus, Andronicus, Carolus Marsuppinus, Ioan. Baptista Bonisignius, Nicolaus Michlotius, Baccius Ugolinus, alii; de quibus, si quis Politiani epi-

ſtolas et Miſcellanea cum hoc carmine contulerit; nae ille haud amplius dubitabit, quin Politiano hic foetus asſcribendus omnino, et vindicandus esſe videatur.)

Clara licet ſummo, Federicum gloria, coelo,
Et nitidis certet tollere ſideribus;
Vel quia munitam, caſtris inducere, fosſam,
Obſtruſumque hoſti claudere novit iter,
Novit et armigeras, dictis incendere, turmas,
Et fera magnanimos, vertere in arma, duces,
Dejicit et celſas, ignitis molibus, urbes,
Occultas aperit militibusque vias;
Vel quod equum fuſis, impellere doctus, habenis,
Qua ruit hoſtili ſangvine tingit humum;
Quantus Biſtonio, Gradivus in axe coruſcat,
Quum rapit ardentes, in fera bella, Getas;
Vel magis argutos, placida quod fronte, poëtas,
Allicit, effuſis undique muneribus;
Laurigeraſque petit, poſita modo cuſpide, Nymphas,

Im-

Vulg. v. 13. placidaque.

Implicat et ternis, brachia nexa, choris;
Et licet, Eridanum Phaëthontis flebile bustum,
Qui regit, et Mutinae tecta superba premit,
Aut rex Oebalii, qui temperat ora, Galesi,
Teque olim Musis inclyta Parthenope,
Materiam sacris, valeant praebere, poëtis,
Sive illi pacem, praelia sive gerant;
Quid tamen externo, juvat indulgere, labori?
Quid juvat externos, concinuisse, duces?
Non libet amoto, fauces perfundere, vino,
Quum propior valeat tollere lympha sitim.
Nonne magis referam Petrum, patriaeque parentem
Cosmum? non Medicae, pignora bina, domus?
Temperet ut cives tanta Laurentius arte,
Stelligeros quanta, Iupiter ipse polos,
Ut tumidum conata jugo subducere collum,
Protendit victas, jam Volaterra, manus,
Ut modo Palladiae, Pisis cedetis, Athenae,

Otia.

v. 25. videtur corruptus esse versiculus; in: *amoto vino.* Vulg. v. 26. Quin.

Otiaque antiquae, dulcia Parthenopes;
Nonne magis referam ludicrae munera pugnae,
Verinus quamvis dixerit illa meus?
Paene puer juvenes valido Laurentius ictu,
Dejecit forti conspiciendus equo.
Paene puer terrae, galeas devolvit inanes,
Stravit cornipedes, arma virosque simul.
Has ego non humili complectar carmine laudes,
Virtutis referens munera prima suae.
Paene puer fudit patris Laurentius hostes,
Compulit et proprios deseruisse lares.
Armatos cives, armis circumdatus ipse,
Duxit, et infidas, expulit urbe, manus.
Territus effugit patriis Detisalvus ab oris,
Nunc terit in longa tempora pauperie.
Haec mea Musa canet, nostro haec sunt ore canenda,
Et meus hoc tantum pulvere sudet equus.
His mihi descriptis, libeat quoque forsan ad illos,

Tle-

Vulg. v. 36. Verrinus.

Flectere converso protinus axe rotas.
Ante, pharetratos cecinit Landinus amores,
Ante celebrata est carmine Xandra suo.
At postquam Medicas, illud transmisit, in aedes,
Et Petro meritum praestitit officium;
Lectitat hunc sacris, Ferraria culta, poëtis,
Miraturque animae, jam monumenta, suae,
Sic ubi jam Medicae, solvisti debita, genti,
Carliaden vexas nunc, Ugoline, tuam,
Carliaden, qua non Latio praestantius ullum,
Quod videam, nostro tempore surgit opus.
Ipse Cleonaeum liber contunde leonem,
Alcidaeque gravi, subjice colla, polo,
Ipse et Erythraeos jam nunc molire juvencos,
Pacatumque nemus, o Erymanthe, tuum.
Ipse refer perversa levis vestigia cervae,
Thermodontiacas, ipse referque, manus;

Me

Vulg. v. 55. illam transmisit. v. 56. E petro. v. 58. forte legendum: *animi-sui* Vulg. v. 66. o arimanthe.

Me juvat in Medicam, versus connectere, gentem,
O animae, Fonti, portio magna, meae!
Et tibi, Laurenti, noster praeludat Homerus,
Molimur forti, dum tua gesta, pede.
Hactenus haec. sed jam tacito tibi pectore, Fonti,
Saevus Amor rapidas ventilat usque faces.
Ast ego mirabar, graciles quid protinus artus
Vexat, cur tenero pallor in ore sedet?
Permessi quoties laticem, cum decolor esses,
Culpavi, et Phoebi Pieridumque choros?
At quondam nostros, demens, lusisse furores
Te memini, et vario corripuisse joco.
Ridebas gelidae, tolerantem frigora, noctis,
Quum tegeret madidas, cana pruina, comas,
Ridebas, Fonti, dominae fastidia nostrae,
Esset cum misero, janua clausa, mibi.
Ridebas, scopulo, cum surdior illa, Sicano,
Temneret in duro limine pervigilem.
Nec te poenituit lacrymas ridere cadentes,
Turgidulasque novo semper ab imbre genas.

I,

I, nunc ſacrorum, Fonti, deriſor, amantûm,
I, temne aligeri, jura ſuperba, Dei!
Quam magis optares Ephyrei dura tyranni
Supplicia, et poenam, Tantale ſaeve, tuam!
Quam magis Atraciamque rotam, tortoſque dracones!
Et Tityi volucres, tergeminumque canem!
Nil tibi Socraticis, ſapientia condita, libris
Proderit, aut Samium conſuluiſſe ſenem.
Nil tibi contulerit, ſacri monumenta Maronis,
Aut Tulli varios, edidiciſſe, locos.
Fruſtra Hieronymum ſublimia dicta tonantem,
Fruſtra Auguſtini ſcripta ſevera leges.
Fruſtra Naſonem, lepidi vel culta Tibulli
Carmina, vel qui te, Cynthia ſola, canit.
Ah miſer! in ſterili ſulcum producis arena,
Diligit Aonios, nulla puella, modos.
Sed magis aurato, gaudent procedere, limbo,
Sidonioque graves murice ferre ſinus.

Sem-

Vulg. v. 103. Ha miſer.

Semper Erythraeo poscunt de litore gemmas,
Ut lapis in tereti splendeat articulo.
Ah ego quos cecini versus ad limen amicae!
Sed nebulae, et tepidi diripuere noti.
Postibus ab quoties Elegeïa nostra pependit!
Nec tamen excusa, janua aperta, fera est.
Iactabam, memini, Phoebum, nostramque poësin,
Divitis illa tamen maluit usque torum.
Auro flectuntur pueri, facilesque puellae,
Corrumpunt justos, aurea dona, senes.
Inclusam Danaën muniat ahenea turris,
Perviaque aurato, est tegula facta, Iovi.
Quare, si sapias, aurum, viridesque smaragdos,
I, lege; quae Venerem conciliare queant.
Crede procellosis, turgentia lintea, ventis,
Ut dominae gravida classe parentur opes.
Nec te, si madidus nimbis consurgit Orion,
Terreat, aut si quas, ingerit Haedus aquas,
Sive Therapnaeae, sidus pluviale, maritae,
Ingruit, et pueri, stella proterva, Phrygis.

Nil

Nil habet in sacros, tempestas juris, amantes,
Cognatasque undas temperat alma Venus.
Sed quando in misero, quae tempora ducis, amore,
Scripsisti, et vitae, munera cuncta, tuae;
Nunc simul et nostro, Fonti, sermone vicissim,
Disce aliquid vitae, de ratione, meae.
Libera jam tuto, ratis est mihi condita, portu,
Nec metuit si quas, increpat aura, minas.
Quare ego Maeonii, divina poëmata, vatis,
Ut coepi, in Latios, vertere tendo, modos.
Sed quoniam variae, delectant fercula, mensae,
Dulcius et vario, gramina flore, nitent;
Saepe mihi numeris ficti referuntur amores,
Et canitur gracili, mollis amica, pede.
Nunc me contractis, epigrammata ludere, velis,
Nunc juvat ad mollem, flectere dicta, lyram.
Saepius eloquium magni Ciceronis adoro,
Hic quoque succedunt verba soluta mihi.
Nam modo me, Fonti, vel epistola blanda moratur,
Actio vel multis, plurima ficta, locis.

Et modo me retinent calamo praecepta quieto,
Tradita, pacatis, et pia verba, notis.
At quum Pieria, taedet pallere ſub umbra,
Egredior thalami, conſcia tecta, mei.
Protinus inde peto Matthaei limina Franci,
Ille mihi lepidos, ingerit usque, jocos.
Suſcitat ille meo langventes pectore vires,
Et mentem a tetro, vindicat ille ſitu.
Hinc me digresſum Marſilius excipit ingens,
Non minus ingenio, qui favet usque, meo.
Hic aperit quanto, currunt vaga ſidera, lapſu,
Altus agit quali tramite Phoebus equos.
Hic docet undeni reſecant ut ſidera circi,
Cur nitido tantum lacteus orbe patet.
Ut cum patre Venus miſeris mortalibus aequa eſt,
Cur ſaepe obſcuris, Luna laborat, equis.
Aurea cur celſo, pendentia vincula, mundo,
Maeonii finxit Muſa beata ſenis.

Cur

Vulg. v. 154. vendicat.

Cur saepe aërii, luctantur in aequore, venti,
Cur glacie, et saeva grandine terra riget.
Atque eadem Icario cur mox perrumpitur aestu,
Cur pluvius madidas, combibit arcus, aquas.
Quae causa est vernum, laxari fulmine, coelum,
An ruat e puro, stella serena, polo?
Et modo pallentes, humano corpore, morbos,
Qua valeam, medica pellere monstrat ope.
Impia non sani, turbat modo dicta, Lucreti.
Imminet erratis, nunc Epicure, tuis.
Ille Iovis quarto solium conscendere passu
Edocet, et celsi, lucida signa, poli.
Namque agere ostendit pigrae nil corpora molis,
* *Mox imperfecte cum loca forma super.*
Hinc anima exeritur divinae conscia mentis,
Contiguus summo est angelus inde Iovi.
Saepe graves, pellit docta testudine, curas,
Et vocem arguis suggerit articulis.

Qua-

Vulg. v. 175. quinto. v. 178. totus est mendosus, nec facile sanandus.

Qualis Apollinei modulator carminis Orpheus,
Dicitur Odrysias allicuisse feras.
Marmaricos posset cantu mulcere leones,
Quasque niger tigres semper Amanus habet.
Caucaso traheret duras e vertice cautes,
Saxaque Sicaniis condita gurgitibus.
Hinc, ubi conticuit; Musarum concitus oestro,
Deferor ad solitos, protinus ipse, lares;
Atque iterum meditor numeros, Phoebumque lacesso,
Attonitusque sacram, pectine plango, chelyn.
Rursus in Andronici doctum, me confero, ludum,
Qui tumidi, nodos laxat, Aristotelis.
Smyrnaeique docet jucunda poëmata vatis,
Iam populat Grajas, Dardana flamma, rates;
Fulminei posthaec aperit Demosthenis artem,
Aequiparat nostri quem Ciceronis opus.
Hic Verinus adest, hic sacri templa Lucardi,
Qui regit Aoniis, pectora nota, choris.

Ca-

Vulg. v. 189. conticui.

Carolus hic patrias, certat ſuperare, Camenas,
Et Marſupinam, tollere ad aſtra, domum.
Carolus ille, inquam, Muſarum dulcis alumnus,
Quo nullus toto, eſt gratior, orbe mihi.
Nec minor egregia ſurgit virtute Ioannes
Baptiſta, Hetruſci, gloria certa ſoli,
Et quos longa mora eſt tenui comprendere verſu,
Excipiunt ſocii, Dorica verba, mei.
Nec ſecus hinc reliquum teritur mihi temporis, et me,
Bibliotheca tenet, Veſpaſiane, tua.
Cui tantum Grajae debent, Latiaeque Camenae,
Smyrnaeo quantum Dorica terra ſeni.
Namque Deus veluti, Cresſis Epidaurius herbis,
Extinctum patri reddidit Androgeon,
Sic tu, quos rapuit nobis carioſa vetuſtas,
Reſtituis Latio, Veſpaſiane, viros.
Per te Lethaeos, jam ſpernit Graecia fluctus,
Nec metuit Stygium, Romula lingva, Deum.
Felix, cui liceat revocare in lumina vitae,
Mortua priſcorum, tot monumenta, virûm.

Fe-

Felix, cui liceat ſanctorum nomina vatum,
Perdita, flammatis eripuiſſe rogis.
Hunc prope conſiſto, donec Cythereïus ignis,
Advocat exorta, lucida ſigna, face.
Sic ego labentis, produco tempora, lucis,
Inter Hyantei, munera grata, chori.
At quum feſta dies ſvadet ceſſiſſe labori,
Quae ſubeant animum, gaudia diſce, meum.
Attonita, geminos veſtigo, mente poëtas,
Ut referat numèros, ille vel ille, ſuos.
Sic Aganippaei, Michlotius incola, fontis,
Pierio blandos, ingerit ore, modos.
Sic arguta refers nobis epigrammata, Bacci,
Qui Marſi lepidam vincis Amazoniden.
Par eſt ambobus ſtudium, par vita, nec illis
Ingrata eſt Muſae, pars quotacunque, meae.
Nam licet et Marſi vincant, et ſcripta Catulli,
Auguſtique jocos exuperare queant,

Et

Vulg. v. 233. Bracci. v. 234. amazoniam. v. 236. noſtris, pro, *Muſae,*

Et licet bis cedat culti Getulicus oris,
Vel Pedo, vel celebris, Muſa benigna, Coci;
Attamen eſſe aliquid ſitiunt mea carmina, vates
Eſſe aliquid nugas, cenſet uterque, meas.
Scilicet alterni, vos copula fallit, amoris,
O ſocii, mentis, vincla benigna, piae!
Offundit tenebras, ac veri lumina tollit
Sanctum jucundae, foedus, amicitiae.
His ego ſuffixus, totam vagor usque per urbem,
Atteritur pedibus, et via longa, meis,
Donec flammigeras, prono Phaëthonte, quadrigas,
Lucidus Heſperio, Cynthius amne, lavat.
Haec tibi, ſuſcepto pro munere, munera reddo,
Haec pro ſuſceptis, carmina, carminibus.
Ergo vale, Fonti, et memori nos mente recondė,
Mutuaque alternus, pectora fervet amor.

Epi-

Vulg. v. 240. Vel pede. v. 241. pro: *ſitiunt*, forte legendum: *faciunt*, vel ſimile quid. Vulg. v. 244. montis. v. 254. alternis.

Epitaphium Matthiae, regis Pannoniae, per Tit. Vespasianum Strozzàm.

Quas tua non adiit, rex invictissime, gentes
Gloria? Matthiam quae tacitura dies?
Laeta novum mundo natura faventibus astris,
Addidit, in lucem te veniente, decus.
Nec fors, nec ratio, nec mentis vividus ardor,
Nec pars virtutis defuit ulla tibi.
Protulit antiquos regni, te Principe, fines,
Pannonis, Arctois, gens dominata, plagis.
Te Geta, te Dacus tremuere, acerque Boëmus,
Horruit et vires, ora Liburna, tuas.
Effera, quid bello posses, Germania sensit,
Nec vis conatus, ulla morata, tuos.
Ut coelum ornarent, animo majora parantem,
Fatales terris te rapuere Deae.

De

De eodem, Marullus.

Legibus, imperioque aucto, bellique domique,
Vix reliquus laudi jam locus ullus erat.
At postquam Aonidum studia accessere benigna,
Ulterius, dixi, nil dare cura potest.
Ulterius das ipse tamen, crescenteque passim
Plebe nova, e proprio tecta domosque paras.
Sic ope, sancte, tua, patriae pater, undique leges,
Crescunt, regna, artes, plebs nova, tecta nova.

Aliud epitaphium per Thibaldeum.

Hic jacet insignis Matthias; quem docuere,
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.

Epitaphium Uladislai regis Hungariae, qui caesus a Turcis in clade Varnensi occubuit A. 1444.

(Etsi celeberrimum hoc Epigramma neque in MSto codice, neque in ullis adhuc editis reperire licuerit; quoniam tamen a nostris homi-

 nibus

nibus vulgo ad Ianum Pannonium auctorem refertur; etiam illud hic apponendum duximus, ne quid, quod Iani nomine circumfertur, neglexisse videamur. Sic, ut alios praetermittam, V. C. Stephanus Benjamin Szilágyi, professor Varadinus, ac dein Patakensis celeberrimus, in oratione Latina, Liszkafalvae, super funere Ill. Comitis Petri Betlen de Iktar, *de fatali rerum periodo*, Anno 1646. 21. Octobr. habita, hoc Epigramma Iano nostro tribuit. Elegantia culturaque in eo tanta est, ut tersissima Iani Musa haudquaquam indignum possit existimari.).

Romulidae Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales, non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere foedus,
Non ferret Scythicum, Pannonis ora, jugum.

Ex hoc ultimo versiculo: *Non ferret Scythicum P. o. j.* recentiores quidam scriptores, negant hoc epitaphium ab ejus aevi homine scribi potuisse, eoque Iano Pannonio abjudicant. Sic Clariss. Timon, adscripto epitaphio: *quod quidem*, inquit, *recentioris ingenii partus esse videtur. Non enim statim a caede illius, Hungaria ab Asiatico Tyranno subacta est; imo refloruit sub Matthia rege.* Haec ille! Quasi vero hujus versiculi sensus esset, Hungariam jam tum, qua patet, omnem, Turcis subjectam fuisse. Atqui *ora* proprie significat rei extremitatem, et quando de regionibus usurpatur, praecipue maritimas notat partes; qua notione saepissime venit apud poëtas, ut vel apud unum Ovidium, *Illyris ora*, *Libyca ora*, *Maeotis ora*, *Ponti sinistri ora*, et alibi sexcenties in hanc sententiam. Quare hic quoque oram tantum Pannonidem, h. e. fines et maritimas ejus regiones ob hanc cladem Varnensem

ſem in Turcorum poteſtatem veniſſe vult poëta. Id quod ſane Iani aevo et ab eo, convenientisſime verisſimeque dici potuit. Nam ad annum Iani emortualem 1472. incredibiles Turci progresſus in Europa fecere, praeſertim Conſtantinopoli A. 1453. a Mohammede capta. Eſt igitur verſus ſententia: Ob violatum foedus, Deo permittente, cladem illam Varnenſem, quaſi viam et occaſionem barbatis praebuiſſe invadendi in fines et provincias Pannoniae maritimas. Quid? Non potuit hoc epitaphium Ianus ſcribere v. gr. Ao 1463, quo Turci cuncta Bosnia potiti fuerunt? quoque Ianus ipſe vel maxime florebat? Certe Bosnia, ora Pannonis erat, et Scythicum jugum, Iaicza capta, et omnibus aliis arcibus occupatis, tulit. Nam Pannonia ſuperior et inferior Savo Dravoque amnibus perluitur; et ejus ora ultra Savum flumen ea regio eſt, quam poſtea Bosniam vocarunt. Nos, neque manu ſcripti libri auctoritate, neque alicujus editionis fide muniti, de auctore certum neſcire fatemur; id unum docuiſſe contenti, iſtam quorundam rationem, qua ſola nituntur ad eripiendum, quantum in ſe eſt, Iano Pannonio pulcherrimum ingenii foetum, minime valere. Ceterum de clade praedicta videſis *Aeneam Silvium de Europa* cap. 5. *Callimachum* L. 3. *Turotium* capp. 41. et 42.

Finis poëmatum
IANI PANNONII.